HISTORIARVM BRITANNIÆ LIBER OCTAVVS.

Quo vera causa excidij, Regni Britonum in insula, demonstratur.

Ad Amplissimum Domnum VEDASTVM GRENETIVM *Abbatem Bertinianum.*

A. R. VITO BASINSTOCHIO conscriptus.

DVACI,
Apud CAROLVM BOSCARDVM Typographum iuratum.
M. D. C.

RICARDVS VITVS R. F. LECTORI S.

CVM valetudinis curandæ gratia nuper Audomaropoli venisse domum, offendi parentem in hoc Octauo libro Historiarum edendo, diligenter occupatum, & ambos fratres natu maiores abesse. Tunc, Amice Lector, beneuolétia tua fretus, vnum verbum proloqui sum ausus, nempe labores, tamquam Herculeos in Augiæ stabulo perpurgando, sic pro Rege Arcturo iam esse desumtos. Quem Principem temeritas prima Biturigibus exeundi, periculoseque belligerandi fecit, numquam postea sine consilio Procerum, aliquid armis tentare. vnde hostium Victor, & ex prælijs Triumphator, maximus apparuit.

AMPLISSIMO D. DOMNO VEDASTO GRENETIO, RELIGIOSISSIMO ABBATI BERTINIANO, & Comiti Arquensi S.

Singularis humanitas, vitæ sanctitas, morũ integritas, & summa erga litteratos homines benignitas, cæteræq́; tuæ plurimæ virtutes, Honoratissime Præsul, impellunt me: sed Nobilis familia Grenetiorum, quæ descendit ab antiquo, celebriq́; semper apud Scotos, genere Cuminio, & per parentẽ tuum Petrum, non magis Iuris, quàm iustitiæ Consultum, & in totius Arthesiæ Consilio Prouinciali, virũ Primarium, constituta fuit, vrbe Attrebatum splendidissima; cui Caius Iulius Cæsar olim Magnanimum Comium, Regem dedit, quòd eius ope & consilio in Britannico bello plurimùm adiuuaretur, illa planè cogit me, nunc paucis tecum, vti cum vero parente Musarum, præfari. Nam sicut illi veteres Cumini fuerunt in Regno Scotiæ semper illustres, sic istud fidei exemplum, est illustrissimum, quòd Pontifices & Clerus, Arcturo processerint, Sacrosanctum Eucharistiæ Sa-

cramentum manibus portauerint, & nudis pedibus ambulauerint. Concilium enim Bracarense tertium, quod Vitaliani Pontificis tempore, post Simplicium 165. circiter annos celebratum est, satis habuit in diebus festis, Arcam Domini cum reliquijs, non ab Episcopis, sed à Leuitis in humeris gestari. quas si mallet Episcopus, ipse deportare, statuit, ne à Diaconibus in cella veheretur, sed pedibus vnà cum populis procederet. At hi Scotorum Episcopi, non contenti pedibus ambulare, nudis etiam pedibus incedere voluerunt. Quorum vestigia, Præsul Amplissime, sequendo, raræ sanctitatis exempla hominibus ostendis. propter quæ libenter hanc historiam offero, vt etiam priuatim, quòd habuerim nuper Charissimam mihi coniugem, Dominam Mariam Luceram, ex Viserno natam, loco Audomaropoli vicino, vestræque Iurisdictioni subiecto. cuius duos superstites liberos Petrum & Ioannam posthac vestro patrocinio commendatos, sicut memet ipsum, esse cupio.

HISTORIARVM BRITANNIÆ LIBER OCTAVVS.

RE diuina, ceremonijsque de more concelebratis in amplissimo funere Regis Vtheri Pendraconis, omnes Britanniæ Principes de diuersis insulæ prouincijs congregati, ad vrbem Vindonum, quæ pòst Silcestria dicebatur, veniunt, habitoq; concilio de Republica ordinanda, Dubritio, quem suprà demonstrauimus ciuitatis Legionum Archiepiscopum, suggerũt, vt is Arcturum defuncti Regis filium, cognomento Riothimum, i. adolescentem omni virtutum genere præstantem, ipse suis manibus ad summam rerum, loco patris administrãdam, consecraret. Vrgebat eos ad hoc ab Episcopo petendum, maxima bellorum, quibus Britanni premebantur, necessitas. Nam ij Saxones, quos Vther Arcturi pater nouissimo ante mortem fortissimè gesto prælio, ab vrbe Verulamio versus Aquilonem, vt suprà diximus, fugere compulisset, audito nunc eiusdem Regis obitu, prouincias in Septemtrione positas, omnesque earũ ciuitatum incolas, vbique vastare cæperunt. Nec eo quantumuis damno

maximo, contenti esse voluerunt; sed alios quotidie ciues suos, ad illam insulæ partem, sibi propriam faciendam, ex Germania inuitant. Nam anno post Christum natum plus quadringentis septuagesimo septimo, res nouas Aëlla Saxo machinabatur, vnà cum tribus filijs Britanniam ingressus. quorum primus Cimen, cognomento Badulphus, alter Pleucingus, tertius Cissa, qui Colegrinus dictus est, omnes aduecti trib⁹ nauibus, armato milite plenis, multos Britonas littora maris occupantes, interfecerũt, ceteros fuga dilapsos, in syluam Andredam sese abdere cõpulerunt.

Cùm Symmachus autem vrbis Romę Consul esset, idem dux Aëlla cum Britannis ad riuum Macredi, acre bellum instituit, plurimisque occisis, reliquos cum Nathaliodo, Vtheri Pendraconis fortissimo ductore militum, capessere fugam coëgit. Illa tanta victoria lætus, cum filio Cissa proficiscitur ad syluã Andredam, in eaque benè munitam vrbem Britannorum obsidet. Est verò Andreda, in parte Cantij versus Austrum, propè Limanem portum, longitudineque mille pas-
2. sus quadraginta, 2. latitudine, triginta comprehendit. Eius vrbem, post lõgam obsidionem Aëlla, Cissaque, cùm Olybrius Iunior Consulatum Romæ solus administraret, vi capiunt, victoresque insolentius sese iactãt, & incolas à minimo, quod aiunt, ad maximum crudeliter omnes interficiunt. Nec ea

regione contenti, quasi triumphatores in Northumbriam suas copias deducere cæperunt. quo tẽpore, rebus quidem ipsorũ peropportuno, hi, quos suprà demonstrauimus, Saxones ab Vthero fugati ex Verulamio, se cum exercitibus Cissæ coniunxerunt, cum eóque dispositis communiter ordinibus progressi, Scotos ac Picthos, qui Colegrini fidem sequi recusant, de finibus illius prouinciæ deijciunt. ita tum quidem factum est, vt partem insulæ, quæ ab Humbro flumine ad mare Cathanesium extenditur, Cissa Colegrinus, publicis edictis, sui esse imperij declarauerit.

Quibus rebus cognitis Dubritius, qui Britanniæ primus Episcopus, & Apostolicæ Sedis legatus 3. erat, vir tanta fide, religioneque præditus, vt homines varijs morbis adfectos sola ad Deum oratione habita, sanaret, 3.
ipse secum reputat, quantum Aureliani Regis, & Arcturi quondam patrui, memoriæ deberet, à quo vt suprà demonstrauimus, ad honorem Archiepiscopatus euehebatur, & nunc eiusdem dignitatis officio tantùm erga illius nepotem fungi, à Principibus Britanniæ rogabatur. quorum honestæ petitioni in tantis rerum angustijs, si non detulisset, illi forsitan alium quemdam Archiepiscopum ad id faciendum, non sine magno ipsius præiudicio confestim prouocassent. Nihilo tamen secius ex altera parte, dũ cogitat Dubritius Arcturum vetito legibus modo natum esse:

sororem eius Annam, matrimonio editam, accepisse pro marito Lothum sapientia, ætatéque virum grauem, iudicio magno rerum agendarum præditum, ac militia præpotentem, quem Rex Vther, communis eorum pater, totius belli gerendi magistrum ac ducem, vt supra demonstrauimus, cõstituisset; optimus Præsul, hanc rem maximam, vnà cum Episcopis in Ecclesiastica negotiorum administratione sibi coniunctis, diligẽter communicat. Illi Arcturum summa morum probitate clarum, singulari prudẽtia, mansuetudine, humanitatéque simul excellere, populo amabilem se, omniq; studio plus, quã adhuc eius ætas ferebat, venerãdum ostendere contemplantur. qui cum ingenita quadam animi virtute, miram erga omnes homines liberalitatẽ, & pręsertim Ecclesiasticos
4. exercebat; quibus pro ardente Christi amore, quẽ corde gerebat, plurima munera donabat. Lothum autẽ meminerũt Vthero Rege viuo, militibus ingratum, eiusque in castris præcepta spreta fuisse. quod iterum, si nunc infeliciter contingeret, respublica propter milites ducibus nec obedientes, maximum detrimentum caperet. Quocirca vno cõsensu omnes, Arcturum pro Rege sumendum arbitrantur. Dubritius de his, quę dicebãtur, meritis Arcturi cognoscit, eumdemque Deo, & Ecclesiæ obedientem; Principibus ac populo gratum Regem futurum existimans diademate condecorauit.

 Quibus

Quibus acceptis insignibus Regijs Arctu-rus, pristinæ virtutis, munificæque largitio-nis, cum bonitate morum, sibi quidem innata coniunctæ, non obliuiscitur, vt plerumque iuuenes Principes facere solent; sed earum rerum exempla, magis omnibhs perspicua, demonstrat, adeo vt propter hæc à cunctis ferè populis vnicè diligeretur. Idcirco tot fortissimorũ virorum, ad eum numerus quo-tidiè confluebat, vt ipsius opes ad certa dona singulis tam copiosè, quàm optabat, facienda, vix sufficerent. Nihilo tamen secius hanc sibi Regia nobilitas quodammodo legem impo-suit, vt, quod sponte tribuit, illud se debere, viris bonis ac fortibus semper existimet. Cui verò tale desiderium largiendi, coniun-ctum cum excellenti morum suauitate, inest quidem naturâ; quanquam ad certum quan-doque tempus pecunijs indigere videatur, continua tamen rerum penuria nunquam la-borabit.

Nam his rebus cognitis Anthemius Impe-rator Romanorum, cùm Euricus Gothorum Rex armis Gallias, quasi iure suo occupare niteretur, protinus legatis missis, submini-strari sibi à Britonibus aduersus eum, auxilia postulauit. Quo tempore Rex eorumdem præpotens, naturaque per admodum ferox, Arcturus Riothimus, hãc sibi quærendæ bel-lo gloriæ occasionem optimã esse arbitratur, & vnà cum duodecim millibus armatorum

hominum transmittit, in ciuitatem Bituri-
5. gas, 5. ex nauibus ab Oceano securus ascendit, humaniterq; acceptus est. Sed his Britonum accitis per Anthemium copijs cognitis, Euricus, milites innumeros contra ipsos in aciem subitò producit, diutissimeq; pugnans, Arcturum Riothimum eorum Regem antè, quàm in illius societate Romani coniūgerentur, superauit. qui ampla exercitus, quem secum adduxerat, parte perdita, cum reliquis, quibus potuit, fugam facit, & ad Burgundios illi loco vicinos, eoque tempore cū Romanis fœdere coniunctos, venit. Ibi cognoscit per acceptas ex Britannia litteras, Saxones, quos suprà demonstrauimus, vastasse Northumbriam, armorum viribus contra Britonas vbique, plurimum valere, eorumque bona sibi, more pessimorū tyrannorum, adripere. quocirca domum redire festinat: opibusq; Saxonum, quæ iam in Britannia quidem amplissimæ fuerant, se, suamq; familiam ditare, atque totius insulæ gubernationem, hereditario iure sibi debitam, sed ab eis vi turbatam, bello recuperare contendit. Proinde militū fortissimorum, ex omni subiecta sibi iuuentute, Britanniæ robusta, delectū facit, quibuscum hæc bella peragere, vrbemq; Eboracam possidere instituit.

Qua per exploratores cognita expeditione Colegrinus, Saxones, Picthos, & Scotos, qui suā fidem sequebantur, in vnū locum conue-

nire,

nire, ſeſeque armare iubet. Arcturo propè flumen Cleuum, 6. cum maxima multitudine 6.
hominum occurrit. ibi primo vtrorumque Britannorum & Saxonum exercituum, facto congreſſu, pro maiori parte valdè animis conſternati, omnes diſceſſerunt. nihilo tamen ſecius eo die Rex Arcturus victoria potitus eſt, ſeq́; recipiens in vrbem Claudioceſtriam, quam Cleuum flumen præterfluit, in ea manſit aliquo tempore. ne ſimile, quod in Gallia ſenſit, detrimentum pateretur; dum Romanis exercitibus aduerſus Gothos, rogatu Anthemij Imperatoris opem ferret, nimiumq́; temerè à Biturigibus exiens, cum ſuis militibus iuueniliter exultaret. Ciſſa Colegrinus cùm videret expeditionem Arcturi non procedere, ipſum ab armis ceſſaturum, eaq́; inſulæ parte, qua remanſit, & in qua natale ſolum eius eſſe dicebatur, contentum fore arbitratur. quam ob rem inde caſtra mouet, atque verſus Aquilonem cum exercitibus proficiſcitur. Ibi cognoſcit Arcturum itinere prius deſtinato Eboracum pergere, nec antè quieturum, quàm in eadem vrbe reſideat. Iterum ergo ipſemet, vt in occurſum eat, diligentiſſimè parat, tandemq́ue ad fluuium Duglas cum Arcturo prælium acerrimè committit, neque tamen eo die vincere quidquam potuit. ad veſperum receptui canit, poſteroq́ue die rurſus in aciem progreditur, quo plurimis ex ſuis militibus occiſis, in

 vrbem

vrbem Vigan se recepit. subtus quam vrbem, Duglas flumen labi, inq; agro Lancastrio positam hanc vrbem, decem millibus passuum à fluuio Merseo distare, veteres demonstrant. Ibi se, suosque reficit, habitáque cõcione diligẽter cohortatus milites Colegrinus, tertium cum Arcturo prælium initurus, benè animatos in campum educit, deque victoria sibi blanditus, iam ab vrbe longius, audaciusque, quàm communis rerum prudentia, vel disciplina militaris suadebat, pugnam instituit, quem Arcturus ita dispositis militum ordinibus circũsepsit, vt ad vrbem Vigan, si maximè vellet, redire non posset. Itaque vulneratis cæsisque ex omni latere suis militibus Colegrinus pellitur in globum, sub tẽtorijs que ea nocte positis, degere cogebatur, nec vsquam inde recedere potuit. Veritus autẽ de exercitibus Arcturi nocturnas insidias, quòd ipse ac sui sine receptaculo vrbis, totam noctẽ sub vigilijs, & excubijs permanerent, edixit omnibus, ne arma deponerent, sed ad signũ lituo dandum auscultarẽt, subitoque, si esset opus, vniuersi ad pugnandum sic armati prosilirent. At vbi nihil eo noctu tentatum esse perspexit, milites Arcturi postridie imparatos summo tempore matutino aggredi cõfidit; sed victus, fugatusque turpiter, Eboracũ ipse contendit. quẽ Arcturus vehemẽter ira cõcitatus, armata manu persequitur, nec antè desinit, quàm eundẽ illa vrbe clausum fortissimè detineret.

Quibus

Quibus rebus cognitis, frater eius Cimen, quem cognomento Badulphum suprà demonstrauimus, vnà cum sex millibus virorum benè pugnantium, ad obsidionem Eboraci dissoluendam accedit, Cissamque liberare omnino conatur. Erat enim ipse, cùm frater ad flumen Duglas hæc prælia quattuor in Arcturum committeret, expectans ad littora maris, aduentum Cerdici Saxonum ducis, qui ex Germania secum auxiliares copias transportabat. Itaque cùm Cimen adhuc decem mille passibus abesset ab Eboraco, nocturnum iter capere, furtiuamque irruptionem facere contendit. Ea re cognita, Arcturus Cadorem Cornualliæ Ducem, cum sexcentis equitibus, peditumque tribus millibus eadem nocte Badulpho obuiam ire iubet. Is confestim ex castris abiens, viam, qua hostes prætersituri erant, ad fluuium Bassam occupat, impetuque repentino Saxones interficit, & eorum reliquos superstites, admodum vulneribus dilaceratos, fugam facere cogit. Interea Cerdicus, & filius eius Chenricus, duo Saxonum egregij ductores sexcentis nauibus 7. forti milite plenis in Britanniam appellunt. vbi 7. littus adscendunt, eodem die cum Britonibus dimicant, illosque deuictos fugere compellunt.

Quibus rebus cognitis elatior factus est Badulphus, tametsi grauiter admodum, &

iniquo animo ferebat, se suo fratri suppetias abhibere non posse. quocirca nunc à Chenrico, nouo victore diligenter auxilium implorat, quod ipse lubenter ei desideranti assentitur. Dum auxilia parantur, Badulphus viam præstruit, & sub hominis cytharoedi forma, nemini, Quis esset, cognitus, in castra Britannorum venit, & ad vrbis Eboracæ mœnia sine suspicione perductus, fune demisso intra muros tractus, ad Colegrinum fratrem accedit. ibi, ne se dedat, omnino ei persuadet. adfore statim Chenricum, auxiliaque subministraturum esse promittit. Quem vnà cum suo patre Cerdico postquam Arcturus pro certo intellexisset, tanto numero hominum, tamq; fortissimis militibus, versus Albaniam, has ob causas contendere, de re tota consilium cum Principibus Britanniæ capit. Illi obsidionem iam tribus mensibus habitam, diutius Eboraci tenere, Arcturo dissuadent. ne si tanta multitudo hostium extrinsecus veniens, cum his, qui vrbe clausi latent, erumpentibus, coniungeretur, per admodũ difficile ac durum subire certamen Britanni cogerentur. Præsertim cùm neque iam amplius incerta esset ea fama, quæ diceret, alium quoq; ducẽ, nomine Portam, & eius duos filios, Bium ac Meglam vnà cum classibus duabus, Saxonum plenis, in Britanniam appulisse, iuuenemq; Britonum nobilissimum, cum ceteris multis in ipso littore peremisse.

Quibus

Quibus rebus cognitis, Arcturus castra remouet ab Eboraco, seque ad vrbẽ Lundoniarum recipere contendit. Cùm Lincolinum venisset, in sylua Celydone, Badulphus & Chenricus delitescebant. à quorum insidijs diligenter Arcturus præcauet, exercitusque suos seruato militari ordine procedere iubet. ac ibidem hostes erumpentes fortissimè castigat, iterumq; ad syluas, plurimis temerè pugnantibus interfectis, eosdem sese recipere, vnde venerant, compellit. hac superata itinerum molestia, tandem Arcturus victor, & ouans, cum Regio splendore Lundinnm ingreditur, eaque vrbe fidissima cõuocatis Clero, Principibusque, suæ quidem potestatis omnibus, consilium, Quid optimè factu opus sit, capit. & ab eis, Quid aduersus tot infidelium hominum vim, insidiasque quottidianas, fieri expediat? quærit. Illi confestim in Britanniam continentis ad Hoëlum Regem pro copijs auxiliaribus legatos mitti persuadent. quod, vti ab eis cõsultum erat, continuò subitis itineribus factum est. Nihilo tamen secius interea Cerdicus, & filius eiusdem Chenricus Nathaliodum, quem ducẽ Britannorum fortissimum suprà demonstrauimus, & vnà cũ eo quinque millia strenuorum hominum, dimicando interfecerunt. Ac rursum ab Occidente profecti Saxones alij, cum tribus nauibus in Britanniam appellunt, eorumq; præcepui duces Stuphus, & Vitegar,

nobiles

nobiles Cerdici duo nepotes fuerunt. qui mox in littora de nauibus expositi, cum Britonibus prælium faciũt, alios morte, quosdam fuga conterunt, nec ab armis prius cessare voluerunt, quam in eisdem locis pro victoribus
8. agnoscerentur. 8.

Dum hæc aguntur domi, Britannorum legati, quos pro suppetijs in continentem missos demonstrauimus, humaniter ab Hoëlo Britonum Armoricorum Rege suscepti, cum classibus quindicim millium armatorum hominum primo vento prosperè reuertuntur, vnaq; cum eis Hoëlus ipse proficiscitur, & alto mari prouectus ad portum Hamonis in Britannia magnificentissimè ab Arcturo re-
9. cipitur. inde Ventam Belgarum, 9. quo decebat, honore deducitur; militesq; eius, potu ciboque per aliquot dies opiparè reficiuntur. Interea Badulphus, quem in syluam Celydonem se recepisse demonstrauimus, vbi frater Colegrinus Eboraco discedens ad ipsum venisset, ambo simul coniunctis exercitibus vrbem Lincolinum obsident. Est autem hæc vrbis in mõte collocata, propè duo flumina, quæ vtrimque dilabuntur. Eò Reges armipotentes duo, cum exercitibus maximis, Arcturus & Hoëlus ambo veniunt, habitóq; acerbissimo prælio, cædem Saxonum ante id tempus inauditam faciunt. vno quippe die sex millia eorum desiderabantur, qui fluminibus illis submersi, aut Britannorum telis confossi, ani-

mam

nam effuderunt. ceteri tanta strage consternati, vrbis obsidione relicta, in syluam Celydonem, qua delituerant, iterum refugerunt. Nihilo tamen secius eos etiam illò regressos Arcturus validissimis armis persequitur, neque in hoc nemore conquiescere patitur. Id quod ipsi cùm perciperent, quodammodoque de sua salute iam desperarent, attamen quasi contra spem omnem resumunt animos, seseque cohortati recolligunt, & Arcturo resistere conantur. Arboribus excisis, ordineque fabrefacto dispositis se tuetur, ac Britonibus illarum beneficio tuti, grauissimam stragem inferunt. Quod vbi vidit Arcturus, tela suorum coniecta in hostes, arborum ramis, ne nocere possint, impediri, pro ea parte nemoris, abscindi ramos omnes, deijcique illos, quos hostes composuissent; truncos autem in terra conseruari, quorum densitate, adductis de propinquo arboribus alijs, ad occludendos hostium egressus, quasi quædam in circuitu claustra effici, iubet. nam ita per alicuius diuturnitatem temporis, eos fame vincendos esse confidebat. quam ad rem, militũ quoque suorum turmas, nemus ambire, ne qua via Saxones clam exeant, per tres continuos dies, ac noctes in custodia manere vigiles præcipit. Hoc eius consilio cognito, cùm pro celeritate fugæ Saxones, res victuales, quibus vescerentur, secum non asportassent, exitum de nemore liberũ certis cum Arcturo pactis

condi-

conditionibus ſtipulantur. Earum prima fuit, vt aurum omne, argentumq́ue quod in Britannia haberent, Arcturo tamquam victori traderent. Altera, vt cum ſuis claſsibus ſolis, & commeatu in Germaniam quietè redire ſinerentur. tertia, vt tributum quotannis ſoluerent, inq́ue eam rem obſides darent. quibus Arcturus ex conſilio Principum id, quod petunt, aſſentitur. & cōtra Scotos ac Picthos, qui Ciſſæ Colegrini fidem, & caſtra, vt ſupra demonſtrauimus, ſequebantur, expeditionem facit. At verò Saxones quàm primum ingreſſi nauibus ſunt mare, tamquam in Germaniam abituri, mox vela retorquent, inſulæq́ue littora, quæ iam reliquerant, iterum ſtatim repetunt. Cùm retro commeantes illud Totoneſium nanciſcerentur, agros omnes ad mare Sabrinum vſque depopulantur, & vbique locorum, colonos mortiferis vulneribus adfligunt. Denique Subrinam flumen traijciunt, vrbem Legionum ditiſſimam exſpoliant. reuerſi pòſt ad prouinciam Somerſeti, eamdem diripiunt. Inde ſubito itinere adrepto, verſus pagum Badonis 10. abſcedunt, eiuſdemq́;
80. præſtantiſsimam vrbem obſidione cingunt.

Quibus rebus cognitis Arcturus indignum facinus illorum admiratur, & obſides ab eis ſibi datos, laqueo ſuſpēdet. omiſſaq́ue, quam inſtituerat, aduerſus Scotos, & Picthos expeditione, quamquam haud lubenter, propter Hoëlum graui corpòris infirmitate, lecto vrbe

Arcluida

Arcluida decumbentem, prius hanc tam insignem Saxonum perfidiam iustis armis vindicare contendit. Quocirca militum advocans concionem: Quousque tandem, inquit, horum fidem mihi tam sæpè, tamq; sanctè iuratam, sed ab ipsis tam citò violatam, expectabo? Ego quidem fidem, quam dedi, conseruabo Deo; sed in hos fœdifragos, hodiè totis viribus ruam, meorumq; sanguinem, quem temerè crudeliterque fuderunt, vindicabo. Vos tantùm, Commilitones, fortiter rem gerite, méq; subsequimini. Quibus dictis concionem dimittit, & ad vrbem Legionum, quam relicti in præsidio Saxones adhuc tenebant, Arcturus proficiscitur. cuius exercitibus appropinquantibus, ciues & numero, & virtute potiores, Regi portas aperiunt, inimicosque communi manu trucidant.

Inde Somersetum Arcturus traijcit, in qua prouincia Saxones dissipati grassabantur, sed à Britannis, qui sub ordinibus, ducibusque certis, eamdem prouinciam à sceleratis hominibus repurgaturi mittebantur, sæpius intercepti, occisique, tandem sibi consultius fore iudicabant, si ad vrbem Badonis, quam, vt suprà demonstrauimus, obsidere ceperunt, vniuersi congregarentur. Id quod cùm ab eis esset perfectum feliciter, Dubritius Pontifex habita concione: Vestrorum, inquit, ciuium, & patriæ summa pietas, hodiè necessaria contra hostes Ethnicos auxilia in præliū flagitat.

Profectò

Profectò nisi causam religiouis, quæ semper est iustissima, vos diligentia, fide, viribusque defendatis, vestro nomini perpetuum, mihi credite, dedecus, & opprobrium cõparabitis. Scitote pro certo, eum, qui mortem subire pro fratribus in Christo sibi coniunctis, non metuit, se Deo viuã hostiam offerre, in eaque re Christum imitari; à quo propterea delictorum omnium veniam athleta constantissimus impetrat, & cũ ipso in gloria sempiterna regnat. Quibus verbis Dubritius, cum Episcopali benedictione milites dimittit. eaque ipsi vehemẽter exhilerati, seseque cohortati, præceptis pontificis parêre contendunt.

Arcturus lorica tanto Principe digna indutus, auream galeam simulachro Draconis insignem, capite: & clypeũ, in quo erat imago
11. Sanctæ Mariæ, 11. Dei genitricis, humero: & gladium, ex calibe optimo, in Auallonis insula fabricatum, lateri adcommodat, dextram verò suam lancea, quæ perardua, lataque & cladibus faciendis apta fuit, exornat. Tum dispositis militum ordinibus, Saxonas more suo in cuneum conglobatos ad pugnam, inuadit. qui tamen egregiè per diem totum dimicando resistebant, Britonasque fortiter insecuti, & vlterius progressi, quàm obsidionis institutæ ratio postulabat, tandem in diei extremo tempore, montem ei loco proximum, pro castris occupant. Nam eis in magna sociorum suorum multitudine confisis, mons

iste

iste Badonicus, vrbe sic temerè derelicta, sufficere videbatur. quem montem Arcturus, confestim in radicibus circumquaque militibus collocatis, obsidet.

Eius diei insequẽti tẽpore cùm videret Arcturus hostes, veluti apum examina, in eodẽ monte perambulãtes, præ animi sui magnitudine, diutius in loco inferiore continere se non potuit. montem ipsum vnà cũ fidissimis militibus ascendere conatur. quorũ coplures ex inani conatu, per pugnam non æquo loco factam, morte mulctatos amisit. quippe Saxones de summo monte decurrentes, fortius multo, faciliusq́; Britannis vulnera impegerunt; dum citior eos cursus in descendendo, quàm alios in ascendendo iuuaret. Nihilo tamen secius Britones pertinaciter connixi, tandem montis cacumen adipiscũtur, in quo tamquam planities fuit, ad quam Saxones conglobati, subsistunt. ibi Britones confestim dexteris hostium, suas dextras conferunt. quibus & Saxones pectora pectoribus animosè prætendunt. cumq́ue nullus ab alterutra parte miles, auersus ab hoste, visus fuerit, & diei pars maxima hunc in modum fortissimè dimicando transiuisset, Arcturus vehementer indignatus, victoriam in medio stare, neque ad se, sicuti sperabat, inclinare, suum de vagina extraxit ensem, Britannosq́ue se subsequi iubet. Nomen Sanctæ Mariæ inclamat alta voce, vt ab omnibus exaudiri pos-

ſet, ſeque magno impetu in denſiſſimas hoſtium cateruas mittit, ac Deum, qui verus eſt Dominus exercituum, inuocando, quos attigit gladio, omnes ictu proſternit, ad numerum, vt fertur, quadringentorum ſeptua-
12. ginta 12. virorum. Quam fœlicitatē Principis intuiti Britones, Regem diligēter, officioseque cum omnibus turmis hominum militarium ita ſequuntur, vt incredibilem ex omni parte hoſtes cædendo, ſtragem effecerint. In quo memorabili prælio Ciſſa Colegrinus, & Cimen Badulphus, frater eius, cum eiſque millia multa Saxonum perierunt. Eorum periculo Chenricus admonitus, cum auxiliaribus copijs, quas in Eboraci obſidione tuliſſe demonſtrauimus, magnis itineribus fugit. Sed Arcturus Cadorem perſequi iubet interim, dum ipſe in Albaniam rurſus ire contendit, vbi Scotos ac Picthos Hoëlum vrbe Arcluida, vt ſuprà demōſtrauimus, ęgrotum relictum, obſidere cognouit. Cador hos Saxonas fugientes, non adhuc tam inſequitur, vt ei mandatum erat, quamquam in eam rem decem millia virorum fortiſſimorum accepiſſet, quàm eoſdem, nauibus prius interceptis, ab vlteriore fuga per mare, prohibere contendit. tum principis mandata diligentiſſimo opere complet, inimicoſque poſito humanæ pietatis ſenſu, obtruncat. qui genuina feritate morem ſic armis inſtigati, quaſi fulminare videbantur, & partim nemoribus

occultare,

occultare, partim cateruis montium abscondere se, vt aliquod breue tempus vitæ haberent, cęperunt. cùm nihil vspiam tutelæ reperissent, ad insulam Thanatou 13. laceri, dispertitique perfugiunt. quos nec illò miserè dilapsos Cador quiescere permittit, donec intercepto Chenrico, reliquos Saxonas datis obsidibus in ditionem Arcturi venire coëgisset. Quantumlibet enim ab Arcturo varijs prælijs victi, temporibusque varijs debellati, Cerdicus pater, & Chenricus filius extitissent, nihilo tamen secius arma rursum capere, in eundemque noua bella mouere cæperunt. ita fuit tādem Arcturus, quasi fessus, fatigatusque pugnando, coactus Hamoduni prouinciam, atque Somerseti, Cerdico sub hac conditione concedere, vt ipse fidelitatis iusiurandum eo nomine Arcturo præstaret. 13.

Igitur pace sic confirmata, Cador Arcluidam proficiscitur, quam Arcturus iam obsidione liberauerat, indeque suos exercitus in Muream deduxerat, vbi Scoti, Picthique obsidebantur ij, qui contra Reges Arcturum & Hoëlum iam tertiò pugnauissent, atque illò, se defendendi gratia, confugissent. Nam inter paludes, & aquarum secreta stagna, insulasque paruas laci Limundi delitescebant. quo cū nullus accessus pateret, ostium ipsius laci Arcturus militibus opplet, ne qua via hostes exire possent. quos spacio quindecim dierum fame diuexatos, ad multa millia in-

terfecit. Quibus rebus cognitis, ab Hibernia classibus appulit Rex Gillamur, & maximis copijs Arcturum ab obsidione, quam ceperat, remouit. cum in Hibernienses ipse statim arma conuertit, & eos vulneribus dilaceratos, citò, vnde venerant, redire compellit. Pòst ad Picthos, Scotosque reuersus, maximopere sæuitiã exercebat, donec Episcopi cum clero sibi subdito, patriæ calamitatibus succurrerent, reliquias Sanctorum, & Ecclesiastica Sacramenta manibus acciperent, nudis pedibus ambulando ferrent, & pro salute populi deprecarentur. Arcturus sanctorum virorum pietate commotus, ab armis cessat, veniam dat, sacramenta veneratur. & ita Scotorum populo data venia, Eboracũ propinqua festa Natalis Christi celebraturus abscedit. Ibi sacrarum ecclesiarum Dei vastitate conspecta, Samsonem, quem suprà demonstrauimus Archiepiscopum, vrbe pulsum esse cognoscit. ceterisque sanctæ religionis viris, de suis sedibus deturbatis, templa per insanum furorem paganorum semiusta, mœstus videt, in eisque ab officio diuino cessari dolet. Itaque conuocatis clero, populoque Piramum sibi à sacellis, huic sedi Metropoliticæ præsulem destinat: ecclesias destructas reparat; cætibusque virorum ac mulierum exornat. Proceres à Saxonibus inde pulsos, honoribus pristinis restituit; præsertim Lotho, qui sororẽ suam Annã duxerat vxorem, ex eaque

ex eaque Galganum, & Modredum filios susceperat, Consulatum Londonesiæ reddit: & Vriano, sceptrum Mureæ: & Augeselo Regiam Attacottorum potestatem. Denique cùm patriæ suæ, statum Britanniæ Arcturus, in pristinam, quam habuit, dignitatem ordinauisset, vxorem ex nobili genere Romanorum editam, & in familia Cadoris educatam, Genoram, 14. omnes insulæ mulieres pul- 14.
chritudine corporis excellentem, oportunè duxit; æstateque subsequente classes in Hiberniam, vnde subministrata suis hostibus auxilia vidit, belli gerendi causa parat. Quod illius consilium: Rex Gillamur vbi cognouit, delectum militum facit, quibuscum Arcturo confestim occurrit. At hi, vt erant plerique nudi, & inermes, infeliciter contra instructos armis, reique militaris viros peritos dimicando, statim incepto prælio aufugiunt, suūq; Regem bello captū, dedi fecerunt: ceterique Principes insulæ, à simili casu pertimescentes, melioribus, quibus poterant, conditionibus sese dedūt. Itaque victor Arcturus transmittit ad Thulem, populoque debellato, insulam suo imperio subiecit.

Quibus cognitis victorijs, Doldauius Rex Gothiæ, 15. Gynnasiusq; Rex Orcadum, & ce- 15.
teri vicinarū insularum Principes, sua sponte veniunt, pollicentur quotannis soluere vectigal, fidem Arcturi sequuntur. qui peracta foris estate, iamque propinqua hyeme in Bri-

tanniam reuertitur, & duodecim annorum ſpacio, quibus in ea permanſit, Rempublicam firma pace conſtituit. Quo tempore accerſitis vndecumque, licet ex remotiſſimis Regnis, de omni gente viris præſtantiſſimis, familiam, & Curiam ſuam augere conatur. Eius rei fama nobiliſſimos quoſque fecit, Arcturũ imitari, vel in genere veſtium, quibus in ſua Regia vteretur; vel ratione armorum, quibus militiam in caſtris exerceret.

Interea Sichelinus Noruegiæ Rex moritur, Lothum nepotem ſuum, quem Arcturi ſororem habere nuptijs coniunctam demonſtrauimus, ſibi ſucceſſorem in regno declarat. Populus alium, nomine Riculphum, ad eamdem poteſtatem adſumit. quo tempore Galganus Lothi filius, duodecim annorum egregius iuuenis, in obſequium Simplicij Romani Pontificis ab auunculo traditur. à quo & arma militiæ tractanda ſuſcepit. Cùm Arcturus Lothum, publicaturus Noruegorum Regem, illò tranſmiſiſſet, Riculphus vnà cum ſuis beneuolis fortiter armatis, occurrit, ipſoque in littore maris, cum Arcturo prælium inſtituit. quod ab vtrorumque copijs, quamquam erat cruentè geſtum, nihilotamen ſecius Britones impetu facto in aciem hoſtium perrumpunt, & Riculphum audacter cũ plurimis alijs ei coniunctis aggreſſi, perimunt. ita potiti victoria, ferro ac flammis omnia vaſtant, nec ab incre-

incredibili sæuitia, quam in Noruegos exercebant, antè cessant, quàm suæ ditionis, dominijque Daciam quoque Arcturo recuperassent. Sic apud Noruegos constituto Rege Lotho, Daciaque simul armis Britannorum deuicta, in Galliam Arcturus transmittit, positisque per diuersa loca militibus, omnia pessumdat. Eo tempore Prouincia Galliarum fidei, administrationique Flauij Pollionis, 16 Romanorum Tribuni militum, sub 16.
Imperatore Leone committebatur. Hic certior factus de aduentu Regis Arcturi, suos exercitus sibi præsto in armis adesse iubet, prælioque congressus, illum vi repellere frustrà conatur. Bellicosissimum enim Principem valida iuuentus omniũ insularum, quas antè vicerat, comitabatur. ex qua re tantas per vniuersa loca copias abducere secum ferebatur, quantas nemo Princeps vnus facilè armis superare posset. Quin & ipsius Gallicanæ militiæ pars maior, quam suis largitionibus obnoxiam sibi fecerat, pro Arcturo stare cognoscebatur. Quam ob rem Flauius Pollio clam ex acie se subducit, & cum paucis sibi fidissimis, ad Parisios fugit. ibi legiones replet, vrbem munit, auxiliaq; vicinorum in tam subitis bellorum casibus necessaria deposcit.

Quibus rebus cognitis Arcturus, eum vrbe Parisiorum includit. cuius obsidionis integer mensis, cùm esset præteritus, neque ab vrbe

Roma, neque ex vicinis prouincijs, vlla militum auxilia subministrarentur; quottidiano clamore plebis, de fame periclitantis, excîtus Pollio, suisque proprijs fidens viribus, quòd statura procerus, quòd scientia rei militaris audax, quòd lacertis vir fortis, & corpore toto robustus esset, præter solitam Romanorum pugnandi cōsuetudinem, ipsa temporum, rerumq; sic eum perurgente necessitate, hostem ad singulare certamen prouocat. Arcturus in prælio superior, numeroque militum potentior, quamquam iustè potuisset, meritoque debuisset, hoc inæquale sibi nunc oblatum genus pugnæ recusare: neque fortuitis casibus victoriam certam committere; nihilo, tamen secius conditionem Pollionis, vt vter in congressu vinceret, is solus regnaret; accipere se, perquàm animosè respondit. Horum ergo Britannorum, Romanorumque pacto vtrimque fœdere, ad insulam quæ fuit extra vrbem, ambo Principes conueniunt. Magna totius populi de re tanta expectatio, fecit hunc, tamquam Achillis, Memnonisque congressum existimari. quoniam ferocitas Pollionis, dum ex aduersarijs sibi parem esse neminem cogitat, omniū mentes ab opere, ad spectandū conuerterat. Acies sunt dispositæ. nam inter bellatores, principesq; dubia erat posita victoria; vt propè horum duorum pugna sola finem bellandi, dirimere videretur. Arcturus ex acie Britan-

norum,

norum, ad dimicandum progressus est. armis decenter ornati super equos miræ velocitatis, ambo decertatores resident. quibus ad signū tubarum sono datum, calcaria subdentes, ferocissimè concurrunt, ictibusq́ue crebris ac ingentibus sese mutuò feriunt. prosternitur in terram Pollio. Dein Arcturus ex equo vulnerato concidit. Britones, vt Regem humi iacêre vident, morte peremptum arbitrantur, & in officio pactæ pacis amplius contineri vix potuerūt, ne communi fœdere rupto, in Gallos Romanis adiūctos, vno animo toti ruerent. id quod facere dū meditantur, Arcturus subitò erectus, vehementerq́; ex casu de equo, cōmotus ad irā, Pollionis caput sic ense findit, vt vitę spiritū exhalauerit.

Quibus rebus cognitis Parisij adcurrunt; valuisq́ue portarum apertis vrbem Arcturo victori, eamq́ue ingredienti claues tradunt. ibi exercitum in duas partes diuidit; quarum, Hoëlo ad expugnandum Vitardum Pictauorum ducem, vnam tradit. alteram, ad ceteras prouincias sibi subdendas, retinet. Hoëlus Aquitaniam cum Britannicis exercitibus ingressus, vrbes quascumque potest, inuadit, pluribusq́ue prælijs exagitatum Vitardum, ad sui deditionem nouissimè coëgit. Inde Vasconiam quoque ferro ac flammis depopulatus, eiusdem Principis Arcturi imperio subiecit. Talia cum multa præclarè in Gallia, nouem annorum spatio gessisset

ſiſſet Arcturus, iterum Pariſios redit, ſuamq́; 17. Curiam 17. honoratiſſime cõſtituit. Clerum ac populum ſimul vocat. ſtatum regni pace, legibusq́; confirmat. officia & dignitates his, qui bene meriti ſunt, diſtribuit. Beduero quidem ſibi à poculis, Neuſtriam, quæ iam Normania dicitur. Caio à dapidus ſibi admiſtrandis, prouinciam Andegauorum concedit. nobilibuſq́; viris alijs, qui in obſequio ſuo fuerunt, prouincias item alias plures contribuit. omnibuſque populis ac ciuitatibus in pace conſtitutis Arcturus, primo veris tempore in Britanniam redit. Ibi cum feſta Pentecoſtes aduenirent, inſignem de tot victorijs triumphum cum publica lætitia inſtituit. de qua re cum Principibus Britanniæ prius conſulit, & hi ad agendũ triumphum, vrbem Legionum commodiſſimam eſſe demonſtrant. Nam eſt illa ciuitas in regione Morgania ſuper Vſcam fluuium, non longe à mari Sabrino collocata, & ſitu quidem amœniſſima, præq́; ceteris omnibus, ea maxime diuitijs abũdat. Ex cuius vna parte decurrit nobile flumẽ, per quod trãſmarini Principes cum ſuis ſupellectilibus aduehantur. parte altera nemoribus atque pratis circumcingitur; & vndique palatia ampliſſima poſſidet, quæ faſtigijs tectorum aureis, Romanarum domorum ſuperbiam imitantur. Eccleſijs autem duabus pręcipuis eminet, quarum vna in honorem Iulij martyris, Deo dicatarum virginum

virginum propria, erigitur. altera ſocij eius Aaronis, conuentu virorum Canonicorum exornata, ſedem Britanniæ metropoliticam tertiam habet. Præter hæc vrbis decôra ſumma, etiam Gymnaſium erat ducentorum Philoſophorum, 18. qui Aſtronomia, ceteriſ- 18.
que bonis Artibus eruditi, curſus ſtellarum diligenter obſeruabant, prodigiáque Regi Arcturo ſuis temporibus euentura dicebant. Cuius edicto tam Proceres Britanniæ illò vocantur, quàm miſſis ad extera regna legatis, ex Gallia, inſuliſque Oceani latere coniunctis nobiliſſimi Principes inuitãtur. Augeſelus ergo, & Vrianus, & Caduallo Rex Venedotorum, Stater Demetarum, & Cador Rex Corinvalliæ, ad Arcturi conſtitutam in hac vrbe Aulam, cum ſatellitibus quiſque ſuis venerunt. Præter quos ibidem aderant tres Archipræſules ſedium Metropoliticarum, Lundonienſis, Eboracenſis, ipſiuſque vrbis Legionum, Dubritius. Item illò venerunt Conſules præſtantiſſimarum ciuitatum Morindus Claudioceſtriæ: Mauron, Vigorniæ: Anarautus, Sarisberiæ; Iuligenius, Leirceſtriæ: & Curſalemus, Caiceſtriæ.

Porrò duces hi, Chiminar, Doroberniæ: & Verbigenius ex Badone: ſicut & Ionathal, Coroceſtrenſis: & Boſo, Ridocenſis, qui nunc Oxonephordiæ dicitur, aduenit. Neque minoris dignitatis Heroës, Danaus, Aponis; Cheneus, Coili; Peredurus, Eriduri

filius,

filius, accessit; alijque plurimi, quorum nomina recensere longum foret. præsertim cùm ex Hibernia Gillamur, quem ab Arcturo captum esse bello, suprà demonstrauimus, & Maluisius ex Thule; Gynnasius, Orcadibus; Lothus Noruegia, & Ascillius ex Dacia, huic publicæ lætitiæ interfuerint.

De prouincijs quoque transmarinis Hol-
19. dinus rex Ruthenorum; 19. Leodegarius Bononiæ Cõsul; Beduerus, quem suprà demonstrauimus ducem Normaniæ, & Caius, quem Andegauorũ; Borelusque, dux Cenomanorũ, & Vitardus Pictauorum, adfuerunt. Galliarum duodecim Cõsules etiam, quos Verinus Carnutensis secum adducebat. Hoëlus autem dux Armoricorum Britonum cum suis proceribus emicuit super omnes, tanto quidem splendore ornamentorum, tantóq; numero mularum, & tot equis ad hunc triumphum cõparatis, vt illius tam multa decôra solius, facilè describere nemo posit. Nullus denique cis Hispaniam, Princeps fuit illustris, qui non ad hanc Arcturi gloriam cohonestandam peruenerit.

Cunctis ita congregatis, Archipræsules ad Palatium deducuntur, vt Arcturum Regem diademate Imperij induerent. Cuius rei curam, quia gerebatur in sua diœcesi, Dubritius in se suscepit. sic exornatus Rex à Palatio ad templum metropoliticæ sedis deducitur. quem ab vtroq; latere duo Archiepisco-

pi tene-

pi tenebant. quattuor autem Reges Alba-
niæ,Cornubiæ,Demetiæ,ac Venedotiæ(quo-
rum id ius esse dicebatur) aureos gladios
quattuor 20. sua manu gerentes,ipsum ante- 20.
cedebant. Altera regione Genoram Regi-
nam, insignibus principatus decoratam, ter-
tius Archiepiscopus, & Pontifices ad tem-
plum Deo dicatarum virginum perducebãt.
item Reginæ quattuor, coniuges eorum,
quos aureos gladios portasse demõstrauimus,
columbas albas quattuor coram sua Princi-
pe ferebant. quam omnes mulieres illustres
magno cum gaudio subsequuntur. Hac pro-
cessione satis quidem apparatu modesto per
vrbis vicos sic peracta, in templis vtrisque
tot organa pulsabantur, tot Musici cantus
sunt exauditi, vt præ nimia vocum, instru-
mentorumque dulcedine nesciretur, quo
loco suauior sonus ederetur. Plebs ex hoc
in illud audiendi causa trãsit. & post paulũ,
rursus ex illo, ad hoc templum reuertitur.
Ita perfectis diuinis rebus in vtroq; templo
Iulij & Aaronis solemni ritu,Rex & Regina
de capitibus suis comiter diademata grauia
deponunt,adsumptisq; leuioribus ornamen-
tis, ipse cum masculis, ad Palatium suum;
illa cum feminis ad locum alium, pro tanta
Maiestate splendidè paratum, causa pran-
dendi secedunt. Nam hæc est antiqua
Regiæ Aulæ apud Britonas consuetudo,
quam à Troianis descendisse commemorant,

vt ma-

vt mares cum maribus, & mulieres vnà cum mulieribus, dies festiuos separatim concelebrent. Post epulas finitas ad equestres ludos cum omni magnificentia spectandos, bellorumque simulachra, in campis repræsentanda, extra vrbem disceditur. Qui ex quocumque genere ludendi, siue hasta, siue telo, siue iactu lapidum ponderosorum, siue cestibus luctando, vel alia quacumque concertatione vicisset, ille munificum ab Arcturo pręmium virtutis, accipiebat. Cùm tres continui dies his publicis ludis, iocisque alijs varijs absumerentur, die quarto Rex omnibus de se, deque Britannica Republica benemeritis, tam viris Ecclesiasticis, quàm Principibus laicis, singulas dignitates, honoresque, qui tum vacabant, more consueto singulis gratiosum tribuebat. Dubritius enim vitæ solitariæ desiderio motus, Archiepiscopatum
31. deponit. ad quem Dauid Deuius, 21. honestæ vitæ exemplar, adsumitur, & consecratur. In locum verò Samsonis, tunc Archipræsulis vrbis Dolæ, adnuente quidem Hoëlo, Rege Armoricorum Britonum, vbi Dola est sita, Chelianus illustris presbyter Landauiæ, cuius vita moresque commendabantur, electus est. Episcopatus Silcestriæ, Magnino; Vintoniæ, Dunano; & Arcluidæ, Eledemo confertur. Cumque iam vellet Arcturus ad Principes, modis omnibus, quibus potuit, cohonestandos, se conuertere: veniunt duodecim viri

viri ætate graues, qui ramos arboris oliuæ, quædam pacis & legationis insignia, manibus dextris ferebant, Regeque salutato, litteras à Lucio Hibero Romanæ Reipublicæ Procuratore tradunt. Quibus litteris ille vir Arcturo, Iniuria quædam, inquit, & species tyrannidis est, Senatui Populoque Romano, cui totus orbis terrarũ obedit, vectigal, quod olim Caius Iulius Cæsar Britanniæ constituit, reliquique Principes vrbis, hactenus perceperũt, neglecto Imperio, detinere. Galliam, & Allobrogum Prouinciam, Oceanique insulas ab hoc officiorum genere prohibere. quibus rebus, vt satisfacias, æquum est. Arcturus lectis his litteris, de re tota cum Principibus deliberaturus, abscedit. Ibi Cador, Ferè sunt, inquit, iam anni quinq;, cùm in delicijs à bello securi viuimus. equidem verebar, ne pax longa Britannos redderet ignauos, militiæque gloriam à maioribns acceptam, posteris relinquere non pateretur. At nunc Romani, nos iterum ad vetera bellorum exercitia vocant, sequamur.

Tum Arcturus, Quid igitur, inquit, optimum factu nobis est? Lucius Hiberus vectigal petit; quoniam illud olim cum Iulio Cæsare pactum fuit, eique, ac ceteris post eum principibus, à Senatu Populoq; Britanno solutũ esse fertur. At hi Britanniam, domesticis commotionibus, diffidijsque perturbatam, omnes ingressi sunt, eiuscemodique vectigal

soluere,

ſoluere, Britannos vi armorum coëgerunt. quod autem vi ſit, quodque armis eſt adquiſitum; hoc remoueri pari iure gentium, viſque pari armorum, non immeritò tolli, poteſt. &, ſi verum dicere volumus, iam longa præſcriptione temporis, quo nihil eſt ſolutum, profectò diu ſublatum vectigal eſt. Quin imo Britanni à Romanis peræquè tributũ petere poſſent, cum eorum vrbem, Belinus Rex Britannorum, cum fratre Brenno, Allobrogum Duce; & Cõſtantinus Magnus Helenæ filius; & Flauius Clemens Maximus, armorum viribus Romam ceperint, & iura Imperij adminiſtrauerint. Ergóne cenſetis has ob cauſas Britannicum vectigal extingui? Nam de Gallia, viciniſque inſulis Oceani, quod ſcribit Hiberus, inane iudico, cùm illæ prouinciæ à Romanis deſertæ, neque armis defenſæ, à nobis iure belli recuperentur.

Ad hæc Britonũ Armoricorũ Rex Hoëlus, Bellũ, inquit, quod ſuſcipitur pro libertate, iuſtum eſt. Quis homo ſanæ mẽtis exiſtimet, Conſtantinũ, natione Britannũ, cũ à tyrannide Maxẽtij Romam liberaret, eodẽ tempore ſuã patriam, ab eius tributo, ſi quod tũc erat, non liberare? ſi qua poſt eum, innumerabiles pro Roma ſumptus facientem exacta, vel ſoluta, vnquam pẽſio fuit, quod minimè credo, in ea re, vis aperta, & ſeruitutis quædam indignitas, commiſſa fuit. ad quam funditus, tollendam, equidem armatorũ hominum decem

millia,

millia, in campum deducere promitto. idem ordine ceteri Principes, quot vnus quisque per se posset, in militiæ numeros producere velle, tunc profitentur. quibuscum Arcturus in fines Allobrogum, & inde ad cõfinia Burgundiorum, proficisci cõstituit. Interim legatis, de petendo, non pendendo vectigali, se cogitare, respondet.

Quibus rebus cognitis, Lucius Hiberus legiones ab Oriente, 22. Senatus auctoritate, 22.
vocat: deque ordine illo amplissimo, Lucius Catulus, Marius Lepidus, Caius Metellus, & Quinctus Miluius, cum copijs ad eũ in Galliam veniunt. Arcturus Modredo nepoti, & vxori suæ Genoræ, conseruandam in absentia, Britanniam committit. ipse cum Principibus, quos suprà nominauimus, cũque exercitibus copiosissimis ad Hamonis portum abit. ibi prospero vento naues conscendit. cum trans mare venisset ad Albim fluuium, audiuit castra Romanorum non longè posita, milites innumeros cõtinere, quibus nemo Rex vnus facile resistere posset. quo rumore quamquam non est perterritus, nihilo tamen secius duos Consules, Bosonem Ridocẽsem, & Verinum Carnutensem, cum eisque Galganum, quem ex sorore nepotem demonstrauimus, præmittit. qui cum fidissimis comitibus profecti, diligenter omnia explorant, Lucioque Hibero mandatu Regis denunciant, vt è finibus Galliæ recedat, aut die postero experiatur

 armis,

armis, Vter in ea, maius imperium haberet, Is respondet, Non oportere se recedere, qui suffectus in locum Flauij Pollionis, illò, vt regeret, aduenisset. De minis verò armorum Caius Quinctilianus, Lucij nepos, adiecit, Britannos verborum gloria se efferre, viribus non audere. Qua contumelia temere prolata in gentem totam, vehementer commotus ad iram Galganus, ense stricto Quinctilianum in capite percutit mortiferè, conscensisque equis, subitò cum ceteris fugit. Romani velociter prosequuntur, & cum primis Marcellus Mutius. quem sibi à tergo imminentem Galganus, continuò reuersus, etiam gladio ferit ad mortem, & Hoc modo Britannos minari, dixit. Porrò ad syluam propinquam, in qua sex millia Britannorum delituerãt, ipse cito pergit. qui per eruptionem, Romanos hos de improuiso aggressi, redire cogunt. His insidijs Britannorum cognitis, Petreius Cotta, decem millibus armatorum hominum benè munitus, in subsidium venit, eosque rursus in syluam, de qua prodierant, sese abdere compellit. Donec Hiderus Bosonis filius, adiunctis alijs, qui subsequebãtur, quinque millibus Britannorum, oportuno tempore bonam opem suis adferret. Nam omnes simul tunc egressi de nemoribus, fortissimè pugnant, viriliterque pedem pede premunt, pectoraque pectoribus Romanorum opponunt, armis arma terunt, aduersariosque

riosque vehementissime repugnantes, agere cœperunt. plerosque in se currentes prosternunt, ab eisque ipsi quandoque prosternuntur. non vna pugnæ facies, non vnus dimicandi modus fuit. quippe, cominus, eminus, cateruis & cuneis, vtrorũque copiæ concurrebant. Inter quas nationes militariter ita rem agentes, hoc interest, quòd Britanni fortè, temerè, casu in prælium ardenter ruant, de cuius euentu, nihil antè ferè cogitant. at Romani multo prudentius bella gerunt. quos etiam Cotta more boni ducis nonnumquam hostes aggredi, quãdoque de loco eis sponte cedere, cohortatur. Eius Boso sequitur exemplum, militesque seligens quosdam audaces: Quoniam, inquit, hanc cum hoste dimicationem, Rege Arcturo non sciente, nos incepimus, illud cum primis cauendũ nobis est, ne res malè cesserit. Itaque nec aliquod temporis spacium hosti relinquamus, ad deliberandum, Quid agat. vos me sequimini Commilitones. eoque dicto, irruit magno impetu in Cottam, quem nec adhuc concione dimissa, viuum capit, & cum alijs plurimis, simul cum eo deprehensis, ad Arcturum perducit, veniamque quòd eius iniussu pugnasset, deprecatur. Arcturus venia data, suisque de re benè gesta collaudatis, hos bello captos, vt securè custodiantur, Parisios mittit.

Quibus rebus cognitis Lucius Hiberus indignè ferens, etiã à suis sine iussu pugnatum,

dum redire Augustodunum, vnde profectus in Cottæ auxilium erat, opinatur, à militibus Arcturi, in valle Suesia, quam pertransire debebat, circumuenitur. Nam eis præceperat Arcturus, vt, cũ Britanni pedites, aggrediuntur Romanos, illicò equites ex obliquo procedant, suosque hostes, vel dissipare, vel ambire conentur. Pedites enim in quadrũ cum dextro sinistroque cornu exercitus, Britannico more consistebant. dispositis sic ordine militibus, Arcturus legionem vnam, cui Morindum, quem Claudiocestriæ Consulẽ demonstrauimus, omnino præesse, sibique si quid, ex hostium subita velitatione, opus foret, præstò adesse iubet. In qua legione sex
23. millia, 23. sexcenti, & sexaginta sex, benè armis instructi milites fuerunt. Eorũn meditullio figitur aureus draco, quem pro vexillo Rex Arcturus habebat: ad quod, tamquam propositum certum signum Asyli, defatigatos, vulneratosque, & qui forsitan deliquissent, cum eos necessitas ad hoc vrgeret, se fouendi, seruandiq; gratia, cõfugere, præcepit. Tum ita locutus, Licet per aliquot, inquit, annos, magis otio Vrbano, quàm negotio Castrensi fueritis occupati, Commilitones, attamen hanc, animorum generositatem quam habetis innatam, nulla temporis, armorúmue desuetudine minutam esse arbitror. Vestra virtus enim Britanniam fecit regnorum dominam. Romaniqué, qui libertatem vobis

adimere

adimere voluerunt, ita sunt à vobis fusi, fugatiq́ue, vt ipsi non superfuissent, nisi in eum locum, ex quo erant egressi, confugissent. inde per hanc conuallem venturi rursus existimâtur. vos fortiter aggredimini. vni vestrum cuique stat apud me laboris honor, & virtutis præmium amplissimum. His auditis, omnes, pro vita Principis, & pro salute patriæ, mortem se non euitaturos esse pollicentur.

Quibus rebus cognitis Hiberus, qui cum exercitibus suis ad Lengrias 24. mâsit, neque 24.
Augustodunum peruenit, nihil Romani pectoris amisit, vrbemq́ue, quâ cogitabat, adire noluit, sed in valle Britannos armis lacessere contendit. Super qua re diligenter habita concione, Vos, inquit, quorum imperio, ditioniq́ue & orientis, & occidêtis regna subijciuntur, maiorum vestrorum, Commilitones, hodierno potissimum die memores estote. Illi, vt Reipublicæ hostes de medio tollerent, proprium ex corporibus sanguinem effuderunt. tale genus pugnæ, militiæq́ue exemplum tale dederunt, proq́ue patria tam animosè, fortiterq́ue dimicauerunt, vt si quis Deus immortalitem eis, & non occumbendi morte facultatem, facere voluisset, ne cum hoste pugnarêt, eamdem profectò non accepissent. Quocirca feliciter cum hostibus congressi prælio, sæpius pericula mortis euitauerût, & triumphos sæpissimè, splendidissimèq́ue peregerunt. Quibus rerum gestarum ho-

noribus, & aucta est Romana Respublica, & Senatus Populiq; dignitas tanta creuit, vt ad æternæ gloriæ famam, apud omnes in orbe terrarum nationes, peruenerit, Ea virtus maiorum, & ille maximus ardor laudis, in vestris pectoribus generatur. tantummodo vosmet ipsi excitate, Britannosq; istos, quos vestri maiores vicerunt, & Romanorum tributarios effecerunt, ad officium reuocate. Nec me alio consilio existimate, vrbem ingredi voluisse, quàm quòd hos, stultè secuturos, palantesque in valle posse circumueniri existimarem. At nũc vbi mutata vice rerum, ipsos seruatis ordinibus lentè, cautèque procedere videmus, nos audacter eos armis, fortiterq́ue debellemus. Si primos eorum impetus sustinuerimus, procul omni dubio, vincemus. Hunc in modum suos cohortatus Hiberus, in formam cunei more Romano composuit, sonituq́ue classicorum audito, vehemens fiebat ab vtrisque clamor, telorumq́ue missu concursus acerrimus. quo edita cædes magna quidem est, Britannorũ tamen, quàm Romanorũ maior. Cõgressus enim & clamor, quibus rebus maximè hostes cõterrentur, in collatu iam, pari erant conditione. Itaque ex vtroque genere pugnæ, cum parem virtutem ad bellandum cõtulissent, pilorum missu fixa cumulatur aduersariorum multitudo, & Britonas conscindit: donec Hirelgas Bedueri nepos, trecentis equitibus suppetias Britannis opor-

nis oportunas adferret. nam inde Romanorum ducum par, & æqualis facta strages est. Nihilotamẽ secius Britãni adhuc erãt virtute quidẽ Romanis inferiores, quibus & de loco cesserunt, donec ad aciem Britonum Armoricorum peruenissent. quæ tam excellenti fuit eis adiumento, vt retrò vicissim cedere, seseque recipere aduersarij cogerentur. Id cùm vidisset Hiberus, primo iuuentutis flore vir præstantissimus, animum sibi sumere, milites rursum cohortatus, in Britannos impetum maximum, dedit: quos & ad Arcturi stationem pugnando reiecit. Arcturus cum legione selectorum militum, quam habere secum demonstrauimus, accurrit, & Quid agitis, inquit, Commilitones? num ab hoste vestræ libertatis æmulo fugitis? consistite, moreque maiorum cum gente Romana fortiter dimicate. me sequimini ducem, gladioque stricto vir, vt leo stimulante fame, ferox, in hostes irruit. quos vix vicisset tamen, nisi Morindus aliam legionem, nòn fatigatam pugnando, recentemq; adduxisset, ac Romanos ex inopinato circumuentos à tergo, Britannis ad multa millia interficiendos obiecisset. quo tempore Lucius Hiberus non cognitus in turba, Quis esset, lancea militis perfoditur. quibus occisis vtrisque funus est factum. & Arcturus victor militibus collaudatis, varioque munere donatis, corpus Lucij Hiberi conditum aromatibus, pro Britannico vecti-

gali Romam mittit. & ea hyeme apud Allobrogas manet. veterisque iniuriæ memor, quod Anthemio Imperatore contra Gothos auxiliũ ferens Romanis, nec eis in aciem procedentibus, ipse ad Burgundios, vt suprà demõstrauimus, fugere cogeretur, nũc sollicitat eãdem gentem cõtra Romanos arma secũ adsumere. cumq; simul æstate sequente Romam proficisci, montesq; cõscendere niterentur, ex Britannia nuntij venerunt, qui dicerent, Modredũ Arcturi nepotem, cui Britanniam vnà cum vxore sua Genora regendam abiens, vt suprà demonstrauimus, cõmisisset, vsurpare tyrãnidem, violatóque iure nuptiarum, cõiugem auunculi, sibi vxorem sumere. Certè Modredus diu Britannicũ Regnum affectabat, neminemq; præter vnum Cerdicum, qui sua consilia impedire posset, inuenit. eum nouerat acceptis ab auunculo prouincijs, fidum hominem absenti factum esse. propterea datis alijs prouincijs, Cerdicũ in suas partes allicere cõtendit. In quam rem homo ambitione corruptus, auaritiáque Cerdicus, Modredo assentitur. nouis Saxonibus accersitis, vtrasq; tã ab auũculo, quàm à nepote prouincias sibi concessis instaurat, séq; vrbe Vintonia diademate cingi facit. & Modredus vrbe Lundino, Britannorum se Regem per adsumptionem diadematis ostendit.

Quibus rebus cognitis Arcturus vehementi dolore irarũ percitus bellum, quod in Ro-

manos cōſtituerat, omittit. Hoëlum cū exercitibus, ad Galliæ regiones, quas vicerat, in officio cōtinendas, relinquit. ipſe cum Regibus inſularū, copijſq; eorūdem, Galliçaniſq; quas ei obnoxias eſſe ſuprà demōſtrauimus, in Britanniam magnis itineribus reuertit. Interea Modredus cum Chenrico Cerdici filio, & Saxonum duce, quem à Cadore bello captum demonſtrauimus, vt ille quoſcunque poſsit, milites conſcriberet, agit. cum his à fide Chriſti hominibus alienis, Modredus ſceleratè fœdus init; Scotoſq; ac Picthos, & Hibernos, denique omnes, quos nouerat habere odio, ſuū auunculū, ipſe conficit amicos ſibi, fidéq; data, & accepta, belli ſocios adſciſcit: cum eiſque Arcturo claſſibus applicanti ad portum Rhutupiarum, occurrit: & militibus eius vix in terram adhuc expoſitis, omninóque ad ordine pugnandum, imparatis, maximam necem infert. quo quidem die Augeſelus, quem Albaniæ Regem 25. demōſtrauimus, & Galganus, Arcturi nepos alter, natuque maior frater Modredi, cum innumeris alijs Britannis ceciderunt. quorum corporibus ſepulturæ datis, poſt tres dies Arcturus, littora maris libera, vi ſumma ſaltem armorum nanciſcitur, nepotemque ſuum Modredum, & omnes, quas habuit, infidelium copias, ad vrbem vſque Vintoniam reiecit. 25.

Quibus rebus cognitis Regina Genora, quæ tū erat Eboraci, de ſua cauſa illicitarum

nuptiarum, deque ſua vita, propter crimen læſæ maieſtatis admiſſum, quaſi deſperans, ad vrbem Legionum fugit, & in templo Iulij martyris, inter ſacratas Deo mulieres, quas ſuprà demonſtrauimus, ibi perpetuò deinceps caſtè victura, ſe confert. Verum Arcturus ira iuſtiſſima commotus, Vintoniam ire contendit. adulterum, fœdifragumque nepotem, grauiter & iniquo animo fert intra eius vrbis mœnia claudi. Quod Modredus, qui illò confugerat ex prælio, perſentiſcens, cùm aliquamdiu circumſideretur, neque ſui deditionem facere inſtitueret, militibus in ordinem diſtributis, coniuratiſque inter ſeſe, vt noctu ſigno dato, eruptionem facerent, cædem in caſtris Arcturi maximam adminiſtrauit. ſed virtute tamen inferior, plurimiſque ſuorum interfectis, turpiter abire, ac magnis itineribus in Corinualliam proficiſci compellitur. Etiam illò ad flumen vſque Cambulam, fugientem Modredum, Arcturus flamma & ferro acerbiſſimè proſequitur. Id vbi Modredus, homo omnium audaciſsimus, promptiſsimuſque ad inuadendum, animaduertit, pertæſus fugæ, ſiſtit gradum, militeſq; eo loco conſtanter ordinatos, potius mori, quàm referre pedem, cohortatur. Pariter Arcturus militibus, nepotem perditiſsimũ, hominemque periurijs, adulterijſque inquinatiſſimum, & ſceleratorum ſocium, ſtrennè aggredi, interficereque præcipit. non illum,

qui cæ-

qui cœlū oculis amplius videat, esse dignum: neq; mereri terram pedibus amplius tangere, profitetur; qui tot ethnicorum hominum ope & auxilio, tot exterorū, peregrinorumq; copijs fœderatis, Christianos, domesticosque ciues Dei, & amicos patriæ, pro desiderio suæ libidinis incestæ, proque ambitione incredibili, contaminare, labefactaréque conatur.

Quibus rebus ab ore Principis infensi prolatis, vtrorumque, auunculi & nepotis, acies impetu vehementissimo concurrunt, tantæque hominum strages illicò per quemdam dimicandi furorem excitantur; cumque clamori militum, esset intermixtus gemitus vulneratorum, gladiorumque crepitus adhuc pugnantium auribus oblatus: adeo mentes imperitorum hominum timore præpediebantur, volucresque etiam in aëre consternebantur, vt cecidisse dicerentur. Arcturus moræ impatiens, tanta vi fertur in Modredum, vt & eum, & cum eo, multa millia hominum interfecerit. Cuius ob mortem, ceteri tamen coniurati, nihil extimescentes, de sua statione discedere noluerunt, sed adhuc resistunt, interque semet, tanquam desperata salute dirissimam ipsi pugnam committunt. quo tempore Elaphius, & Ecbritus Saxonum duces, qui Modredo aderant; & Scoti, ac Picthi Arcturo infensi, qui auxilium ei ferebāt, pleriq; ceciderunt. Et altera ex acie Rex Noruegiæ Ascillius; Oberictusque, & Cassibellaunus,

vnà

vnà cum millibus multis Britonum, cæterarumque nationum, quas secum Arcturus habebat, desiderabantur. Sed & ipse Rex, inclytus Arcturus, per imprudētiam mortiferè vulneratus, ad cōmodiorem sui corporis, faciliorem que curationem, vt existimabat, in Auallonis insulam, transuehi se iubet. Constantino, Cadoris Cornualliæ Ducis filio, cognato suo, Regni, quod habuit, diadema relinquit, mortuusque anno post Christum natum, plus quingentis quadragesimo secundo, magnificentissimè sepelitur.

At verò Saxones, eorumq; duces, filij Modredi duo, rursus arma sumunt, vt hunc Quartum Constantinum, si quo modo possent, ab imperio Britānico deturbarent; quod à suo patre descendens isti ad se pertinere dicebant. sed post diuersa, nimium infeliciter per eos gesta prælia, clam ex castris ambo cum paucissimis comitibus fidis se subducunt eorumque alter Lundonias, alter Vintoniam confugit. seseque in sacrosanctis Dei Eccle-
26. sijs, 26. pro iure asyli ambo seruant, quo tempore sanctissimus vrbis Legionum, quem suprà demonstrauimus, Archiepiscopus Dauid Deuius, in vrbe Meneuia, suoque monasterio, quod beatus Patritius fundauerat, ipseque summopere dilexerat, subito morbo correptus, obijt, iubentéque Malgone Rege Venedotorum, in eadem ecclesia gloriosè sepultus est.

Quibus

Quibus rebus cognitis Britanni pro iure publico sacrorum locorum, humana cōmiseratione contendunt; hoc præsertim Regiorum puerorum tempore. quorum tenerrima latera, duorumque tutorum nutritiorum, qui eos illò deduxerūt, præcordia de cruento ense, hastáque Constantini, liberare conantur. Eorum motus populares sedare calliditate quadam consilij, publicáque iurisiurandi religione, se constringere, ne quem illis, alijsúe ciuibus insulæ, dolum, fraudemq; faceret, Constantinus cœpit. Cuius tanta religio publicitus ex ore Principis accepta, quamquam sufficere debuisset, ad credendam vitæ, bonorumque securitatem obtinendam; nihilo tamen secius hi Nutritij tutores, propter eamdem iurisiurandi fidem datam, Regios adolescentes è sacratissimis templis educere tam citò non audebant. Meminerant Constantinum, hominem moribus inquinatissimum, annis multis ante, de crebris adulteriorum, ceterisq; flagitiorum turpitudinibus, iure conuictum, suam legittimam vxorem, contra præceptum Christi à se depulisse. quodque horrendum ipsis auribus est, turpissimum vitæ Sodomorum genus sibi sumpsisse. His sceleribus eius, domesticisque impietatibus diuulgatis, & animum noua dignitate, potentiáque Regia elatum, ac vindictæ cupidum, regnique amittendi metu sollicitum Constantinum facile in iurisiurandi

viola-

violatione peccaturum esse arbitrantur. quas ob res consilium, quod eis tutius esse videbatur, amplectuntur, & perlubenter vnà cum nobilissimis iuuenibus, in sancto Asylo permanent. Cōnstantinus omnis moræ impatiens, hos pueros sibi successuros in regno metuit, quòd eis Britones, Saxonesque simul nūc adminiculentur. Ergo si violandum est ius, vel asyli, vel iurisiurandi, vtrumque regnandi gratia violandum esse, tyrannicus Princeps arbitratur. militibusque clam & subitò congregatis, vrbem Vintoniam capit, in Ecclesiá Sancti Amphibali per vim inuit Modredi filium, qui, se tuendi causa illuc fugerat, ad altare Dei crudelissimè interficit. Pari furore commotus Lūdinum proficiscitur, & huius fratrem in cœnobio religiosorum virorum latitantem, dum salutis causa sic ad altare prorumpit, nihil veritus præsentiam Dei, homo impius occidit: ipséq; post, ab Aurelio Conano suo proprio nepote, ciuilibus armis lacessitus, in campo aperto interficitur; & propè Vtherum Pendraconem in sepulchro communi Britannorum Principum, cùm tres annos regnauisset, sepelitur.

Hic, quem dixi, Conanus optimæ spei adolescens, dignus habitus est insulæ monarchia, quòd in rebus agendis semper audax, & admodum in contrahendis negotijs esset liberalis: donec pessimi belli ciuilis auctor, eos, qui dissidia quærerent, amaret; patulasque aures

his, qui

his,qui alios siue iure,siue iniuria accusarēt, temere præberet.

Quibus rebus cognitis Britanni, fornicationes, adulteriáq; eius, sicut auunculi Constantini detestantur, ipsumque, qui patriæ quietem ferre nequit,vti serpentem,populo mortiferum,abominantur.Et quod ipse pertimescebat,ne filij Modredi,filios duos suos, à successione Britānici regni prohiberēt,hoc per Aurelium Conanum, iusto iudicio Dei perficitur. Nam is parricidij reus,auunculi natos,quos inclusos carcere,ne regnare possent,continebat; postea crudeliter,& consobrinos,& innocentes, &,quod natura hominibus adfert, vt se contra vim defendant, tamen non resistentes,homo immanis occidit. sed eo fortunatus, quòd nisi per annos tres
27. rexerit, ne propter summam rerum malè administratā,infamis apud posteros haberetur. Ei Vortipor cognomento Sinduallus in imperio succedit,vir ætate quidē prouectior Conano,capitéque canus,sed moribus planè non absimilis. Constupratus enim parricidijs, adulterijsque, boni Regis Demetarum filius nequam, & tyrannus, coniugem propriam amouit. eáque honestè mortua, filiam impudentem, stupro, quasi malorū omnium culmine,sceleréque ineluctabili,ducit. Quia tamen ciuium amantissimus, publicæq; tranquillitatis eorundem, ac pacis videbatur esse studiosissimus: suisq; commodis priuatis ea, 27.

quæ

quæ Reipublicæ vtilia forent, semper anteferebat: idcirco cùm in eumdem Saxones acerba,& continentia bella mouerent,quottidiéque nouis ex Germania vocatis, pleraq; insulæ loca maximis subministratis auxilijs vastarent,Britanni Vortiporé copiosis exercitibus, quibus hostes vinceret, adiuuarunt, déq; victoria firmã vbiq; pacem cõsequuntur.

Quibus rebus cognitis Narses eunuchus, & Romanorum Patricius contra Totilam Gothorum regem, ne quid Respublica detrimenti caperet, ab Imperatore Iustiniano dux belli per Italiam constitutus,dum expeditionem in Galliam pararet, cum hoc Sinduallo Britonum rege fœdus cõtrahit. idem facit cum Albuino Rege Longobardorum quorum ope & auxilio,quia Narses Totilam, eiusque in regno successorem Theiam vicit, ac peremit,nec ad Gothos ex Gallia pellendos opera Sindualli ad hoc diligenter ab eo rogati, magnaque militum expeditione præparati, vsus est; ipse memor similis iniuriæ Arcturo factæ, imperatore,vt suprà demonstrauimus, Anthemio, iam Narseti fit inimicus. quem ex amico sibi factum rebellem, Narses armis persequitur, belloque captum
28. laqueo suspendit, 28. cùm annos quattuor regnauisset.

In cuius locum adsumitur Malgo Britannorum omnium vir pulcherrimus, multorumq́ue tyrannorum depulsor fortissimus,

qui tam

qui tam corpore robuſtus,quàm armis potés erat. ceteriſque Principibus liberalior, vita moribuſque præclariſſimus habebatur,donec peſtifera Sodomorum libidine infectus,Deo ſe,hominibuſque infeſtum reddidiſſet. Primis annis ſuæ adolcſcentiæ facinus indignũ, crudeleque admiſit. proprium auunculum Regèm cum fidiſſimis propemodum militibus in aciem vocatum, pugnantemque,enſe, haſta,igni nepos lõgè improbiſſimus oppreſſit. poſtquam ex animi deſiderio ius regni per vim accepiſſet, præteritorum ſcelerum admonitus à præceptore, quem penè totius Britanniæ magiſtrum elegantiſſimum habebat,ipſe homo nequiſſimus, & diebus,ac noctibus immanium peccatorum conſcientia diuexatus,ad rectam viuendi normam, & ad monachorũ decretis in religioſa domo ſemper obtemperandum, ſe conuertit. ibi tamquam ex coruo,vt aiunt,columba factus,omnis regni, auri,argentique,& quod his rebus maius eſt, propriæ voluntatis immemor,votum omnino caſtè viuẽdi perpetuò,facit. At enim ea, in corde tã inquinato, ficta deuotio non diu manſit. contra ius, faſq; citò monaſticũ ordinem repudiat. ex agno miti,quod aiunt, confeſtim fit rapax lupus. omnia crudelis & inſtar prędonis,bona ciuibus aufert. ſcelera ſceleribus adcumulat. poſt monachi votum à ſe ſacrilegè factum irritum, primas, licet illicitas,iure tamen præſumptas,coniu-

gis nuptias aspernatur, & aliam viri, adhuc viuentis, scientisque vxorem ducit, nec illam quidem hominis exteri, sed sui fratris filij coniugem turpiter adamando, sibi sumit, maritumque horrendo parricidio interficit. iterum propriam vxoré, quasi semper eã detenturus, reuocat domum. sed post paulum, summo cũ facinore ipsam occidit. tunc alterã à thoro viri, per se interfecti, viduam factam, impuro & conscelerato rursus connubio sibi adsciscit; illam, cum qua femina tam inhonesto, ac turpi amore collusit; cuiusque ope & cõsilio tantas, & tam subitas peccatorum moles, iste Rex aggregauit, vt publicæ, fallacesq; parasitorum linguæ, etiam per compita illius turpitudines conclamauerint. Nihilo tamen secius in re bellica præpotens, atque felix Britãnorũ Rex habitus est Malgo, qui sex in-
29. sulas, 29. quas vocant Prouinciales, sub imperio continuit, annoque quinto, postquàm regere cepit, vitam morte commutauit.

Ei sufficitur in Regno Cathericus, Princeps Deo, Britonibusque, quòd ciuile bellũ amaret, dissidiumque quæreret, inuisus, & nulla re prospere gestã, felix. Cuius inconstantiam ingenij cum Saxones cognouissent, eoque tempore Gothemundus, cum ingenti exercitu per Oceanum diu nauigans, ex Hibernia fortè, temerè, casu, in Britanniam appulisset, huic sese applicant, & cum eo pactis fœderibus coniuncti, debellatũ ex omni loco

Cathe-

Cathericum,obſeſſumque vrbe Siceſtria,pòſt in Gallias, vltra Sabrinam, fugere cogunt. ibi,cùm tres annos 30. regnauiſſet, moritur. 30.
à quo tempore Britones in varias regiones diſperſi, pulchrum diadema Regni,quòd habebant,perdiderunt; & ita domeſticis motibus confracti, qui longe poſita regna quondam poſſidebant, hoc tempore patriam, coniuges,liberos, & templa Dei, araſque Diuorum, ab hoſtibus Chriſtianæ fidei defendere non poſſunt. Cauſa tanti mali,eſt diſſenſio, quæ naſcitur ex bello ciuili, Principumque inter ſeſe diſcordia,cùm alter alteri pro communi omnium vtilitate, comiter in rebus licitis & honeſtis obtemperare recuſat. Ergo Britanni, qui ad Gallias,quas ſuprà demonſtrauimus,& Corinualliam,Occidentis prouincias, receſſerunt, ſub tribus Principibus vitam agebant. ſimiliterq́; Saxones,nondum inſulæ Regnum 31. conſecuti, tres, quibus 31.
erant ſubditi, conſtitutos Principes habebant; eáque inter Bitānos & Saxonas Hexarchia, plurimorum bellorum cauſa fuit. Horum trium Britannorum Principum potentiſſimus ſemper, fortiſſimuſque habitus eſt Caduanus. & idcirco ex Venedotiæ Principe iam Britannorum factus Rex, impoſito capiti diademate cingebatur. Ille de finibus Venedotorū cum ampliſſimis copijs exiens, ſæpenumerò graue bellum Ethelfrido Regi Northumbrorum intulit.

Quibus rebus cognitis, Primus Gregorius Romanus Pontifex, Augustinum, cum eoque quadraginta viros, in Britanniam mittit, vt Anglis, Saxonūq; populis, verbum Dei prædicarent. nam inanium deorū superstitionibus, vt suprà demōstrauimus, obcæcati, penè totā Christianorum religionem in locis, quæ possidebant, iam extinxerant; quantumuis eadem, ab Eleutherij Pontificis temporibus inuiolata permansisset. Proinde cùm Augustinus illò venisset, in prouincia Britānorum, Archiepiscopatum vnum, & Episcopatus septem, religiosissimis præsulibus adhuc exornatos reperit. Monasteria verò cōplura, quibus ordine recto populus Christianus instituebatur. Inter ceteras eorum ciuitates erat Banchor. cuius ecclesia tot habere monachos dicebatur, vt cum religiosa domus in septem partes, vnà cū suis Præpositis simul adhibitis, diuideretur, tunc vnaquæq; partitio non pauciores, quàm trecētos, qui labore victum, vestitumq; quærebāt, viros haberet. Eorū Abba Dinothus, liberalium Artiū, & doctrinæ vir peritissimus, Augustino petenti ab Episcopis Britannorum, signa subiectionis, quam Apostolicæ Sedi Romanæ debebant; suadentique communem operam Euangelicæ prædicationis, erga gentem Anglorum, vnà secum præstare, respondit: Subiectionem ab ipsis, qui suum Archiepiscopum, cui subijciuntur, haberent, non deberi. Saxonibus autem, inimicis,

micis, 32. qui de rebus ab se per vim ablatis, 32.
iustè restituendis, nō cogitarent quidē, prædicationis officium nolle præstare. cùm eorū religio, sine iustitia; & eorū fides, sine operibus, vana foret. Augustinus Britannorum sacerdotum auxilio destitutus, ad Episcopos in continente vicinos, pro adiumentis scribit. qui & ipsi, cùm ad eam rem perficiendam suos sacerdotes mittere recusarent, Augustinus negotiū ad Gregorium Pōtificem refert. Is ad Theodebertū, & Theodoricum, Frācorū Reges, Childeberti filios scribēs: Peruenit ad nos, inquit, Anglorū gētem desiderare cōuerti ad fidē Christi, sed vestros sacerdotes negligere, eorū desideria suis exhortationibus accendere. Quocirca dedimus in mandatis Augustino, cum alijs, quos illò misimus, vt aliquos è vicino presbyteros secum abducerent. Eam ad rem, quæsumus, vt fauoris vestri gratiam inueniant. & quoniam animarum est causa, quæ agitur, vestra Potestas Regia illos tueatur, ac iuuet. Idem scribit ad Brunichildim Sigeberti viduā Reginā, vt ipsa quoque rem tā piam, modis omnibus procuret. Episcopis autē Galliæ præcipit, vt monachos ad Augustinum proficiscentes in Britāniam, humaniter accipiant, viam aperiant, eorumq́; bonam voluntatem fauore prosequantur.

Tum, quod est summum totius rei caput, litteris Aethelbertum, Anglorum in Cantio Regem, cohortatur, vt ipse Constātini Magni

33. exemplo, 33. & Aldiberta Regina, exemplo Helenæ, veram Christi religionem in omnes populos sibi subditos prædicari curent. nam ita fore pollicetur, vt rectè per Dei gratiam, diúque in Britannia imperent.

Quibus litteris perlectis Aethelbertus, vbi Britonas Augustino, nunc à Sede Petri, Anglorum, facto Apostolo, subiectionem: eorumque sacerdotes, ad prædicationem verbi Dei, operam negare cognouit: Legatos ad Ethelfridum Northumbrorum Regem, cæterosque Saxonum Regulos mittit, qui eos, habito militum delectu, & ciuitatem, & monasterium, nominatimque Dinothum, ac reliquos clericos, qui Augustini monita spreuissent, vi & armis castigare, sollicitarent. Cuius quidem iræ Regis, tamquam diuinæ vindictæ, diligenter eos Augustinus præmonuerat. Nam Ethelfridus, cæterique Saxonum Principes, hanc persequendi Britonas occasionem lubentes amplectuntur: in eorum prouinciam cum exercitibus veniunt, Leircestriam obsident. quò innumerabiles monachi, heremitæque plurimi, ex omni loco, sed de vrbe Banchorensi potissimum confu-
34. gerant, vt pro salute populi, 34. Deum orarēt. Britannorū Dux eo tempore fuit Brochuellus, Pouisiæ Rex, & Leircestriæ Consul, qui sic armato Ethelfrido, videns se pauciore militum numero, non posse resistere, vrbem relinquit, suosq; cohortatus, è portis erumpit,

inito-

initóque prælio, magnam Saxonum stragem facit, & continuò fugit. Ethelfridus vrbe Leircestria tam feliciter capta, tot monachorũ numeros admiratur, causáque aduẽtus eorũ cognita, in ipsos primùm arma cõuerti iubet; quos mille ducentos vno die interficit. Et quia per homines à fide Christi alienos, suo sanguine peccatum expiauerunt, Martyres esse creduntur. Inde castra ad excidendam vrbem Banchorensem Ethelfridus mouet, sed hac insania eius cognita, Rex Caduanus, & Bletrusius Dux Corinualliæ, ac Meredocus Rex Demetarum, ceteríque Britonum Principes, collectis iterum copijs, Ethelfrido armati occurrũt: Dinothíque oratione doctissima cõcitati, cũ Saxonibus prælium conferunt, vulneratumque, in fugam vltra flumen Humbrum, Regem conijciunt; deóq; militibus eius decem millia, & sexaginta sex, fortissimè pugnando, interficiunt. è Britonibus autem vnus Bletrusius Dux, occubuisse fertur. ita prius mille ducentorum Christianorum internecio, hac aduersariorum pœna, est litata.

Sed nec ista Caduanus, vltra flumen reiectione contentus esse voluit, cùm Britãnis ad se, ex omni parte congregatis, militibus, Humbrum transire contendit. Id vbi cognouit Ethelfridus, Saxonas confestim aduocat, & obuius Caduano procedit. Ambobus ad arma sumẽda paratis Principibus, amici quidem, ne congrederentur, ab vtrisque pacem

nuptiarum, deque sua vita, propter crimen læsæ maiestatis admissum, quasi desperans, ad vrbem Legionum fugit,& in templo Iulij martyris, inter sacratas Deo mulieres, quas suprà demonstrauimus, ibi perpetuò deinceps castè victura, se confert. Verum Arcturus ira iustissima commotus, Vintoniam ire contendit. adulterum, fœdifragumque nepotem, grauiter & iniquo animo fert intra eius vrbis mœnia claudi. Quod Modredus, qui illò confugerat ex prælio, persentiscens, cùm aliquamdiu circumsideretur, neque sui deditionem facere institueret, militibus in ordinem distributis, coniuratisque inter sese, vt noctu signo dato, eruptionem facerent, cædem in castris Arcturi maximam administrauit. sed virtute tamen inferior, plurimisque suorum interfectis, turpiter abire, ac magnis itineribus in Corinualliam proficisci compellitur. Etiam illò ad flumen vsque Cambulam, fugientem Modredum, Arcturus flamma & ferro acerbissimè prosequitur. Id vbi Modredus, homo omnium audacissimus, promptissimusque ad inuadendum, animaduertit, pertæsus fugæ, sistit gradum, militesq; eo loco constanter ordinatos, potius mori, quàm referre pedem, cohortatur. Pariter Arcturus militibus, nepotem perditissimũ, hominemque periurijs, adulterijsque inquinatissimum, & sceleratorum socium, strennè aggredi, interficereque præcipit. non illum,

qui cœ-

qui cœlũ oculis amplius videat, eſſe dignum; neq; mereri terram pedibus amplius tangere, profitetur; qui tot ethnicorum hominum ope & auxilio, tot exterorũ, peregrinorumq; copijs fœderatis, Chriſtianos, domeſticoſque ciues Dei, & amicos patrię, pro deſiderio ſuę libidinis inceſtæ, proque ambitione incredibili, contaminare, labefactaréque conatur.

Quibus rebus ab ore Principis infenſi prolatis, vtrorumque, auunculi & nepotis, acies impetu vehementiſſimo concurrunt, tantæque hominum ſtrages illicò per quemdam dimicandi furorem excitantur; cumque clamori militum, eſſet intermixtus gemitus vulneratorum, gladiorumque crepitus adhuc pugnantium auribus oblatus: adeo mentes imperitorum hominum timore præpediebantur, volucreſque etiam in aëre conſternebantur, vt cecidiſſe dicerentur. Arcturus moræ impatiens, tanta vi fertur in Modredum, vt & eum, & cum eo, multa millia hominum interfecerit. Cuius ob mortem, ceteri tamen coniurati, nihil extimeſcentes, de ſua ſtatione diſcedere noluerunt, ſed adhuc reſiſtunt, interque ſemet, tanquam deſperata ſalute dirisſimam ipſi pugnam committunt. quo tempore Elaphius, & Ecbritus Saxonum duces, qui Modredo aderant; & Scoti, ac Picthi Arcturo infenſi, qui auxilium ei ferebãt, pleriq; ceciderunt. Et altera ex acie Rex Noruegiæ Aſcillius; Oberictuſque, & Caſſibellaunus,

vnà

vnà cum millibus multis Britonum, cæterarumque nationum, quas secum Arcturus habebat, desiderabantur. Sed & ipse Rex, inclytus Arcturus, per imprudétiam mortifere vulneratus, ad cõmodiorem sui corporis, faciliorem que curationem, vt existimabat, in Auallonis insulam, transuehi se iubet. Constantino, Cadoris Cornuallię Ducis filio, cognato suo, Regni, quod habuit, diadema relinquit, mortuusque anno post Christum natum, plus quingentis quadragesimo secundo, magnificentissimè sepelitur.

At verò Saxones, eorumq; duces, filij Mordredi duo, rursus arma sumunt, vt hunc Quartum Constantinum, si quo modo possent, ab imperio Britãnico deturbarent; quod à suo patre descendens isti ad se pertinere dicebant. sed post diuersa, nimium infeliciter per eos gesta prælia, clam ex castris anibo cum paucissimis comitibus fidis se subducunt eorumque alter Lundonias, alter Vintoniam confugit. seseque in sacrosanctis Dei Eccle-
26. sijs, 26. pro iure asyli ambo seruant. quo tempore sanctissimus vrbis Legionum, quem suprà demonstrauimus, Archiepiscopus Dauid Deuius, in vrbe Meneuia, suoque monasterio, quod beatus Patritius fundauerat, ipseque summopere dilexerat, subito morbo correptus, obijt, iubentéque Malgone Rege Venedotorum, in eadem ecclesia gloriose sepultus est.

Quibus

Quibus rebus cognitis Britanni pro iure publico sacrorum locorum, humana cōmiseratione contendunt; hoc præsertim Regiorum puerorum tempore. quorum tenerrima latera, duorumque tutorum nutritiorum, qui eos illò deduxerūt, præcordia de cruento ense, hastáque Constantini, liberare conantur. Eorum motus populares sedare calliditate quadam consilij, publicáque iurisiurandi religione, se constringere, ne quem illis, alijsúe ciuibus insulæ, dolum, fraudemq; faceret, Constantinus cæpit. Cuius tanta religio publicitùs ex ore Principis accepta, quamquam sufficere debuisset, ad credendam vitæ, bonorumque securitatem obtinendam; nihilo tamen secius hi Nutritij tutores, propter eamdem iurisiurandi fidem datam, Regios adolescentes è sacratissimis templis educere tam citò non audebant. Meminerant Constantinum, hominem moribus inquinatissimum, annis multis ante, de crebris adulteriorum, ceterisq; flagitiorum turpitudinibus, iure conuictum, suam legittimam vxorem, contra præceptum Christi à se depulisse. quodque horrendum ipsis auribus est, turpissimum vitæ Sodomorum genus sibi sumpsisse. His sceleribus eius, domesticisque impietatibus diuulgatis, & animum noua dignitate, potentiáque Regia elatum, ac vindictæ cupidum, regnique amittendi metu sollicitum Constantinum facilè in iurisiurandi

viola-

violatione peccaturum esse arbitrantur. quas ob res consilium, quod eis tutius esse videbatur, amplectuntur, & perlubenter vnà cum nobilissimis iuuenibus, in sancto Asylo permanent. Cōnstantinus omnis moræ impatiens, hos pueros sibi successuros in regno metuit, quod eis Britones, Saxonesque simul nūc adminiculentur. Ergo si violandum est ius, vel asyli, vel iurisiurandi, vtrumque regnandi gratia violandum esse, tyrannicus Princeps arbitratur. militibusque clam & subitò congregatis, vrbem Vintoniam capit, in Ecclesiā Sancti Amphibali per vim irruit, Modredi filium, qui, se tuendi causa illo fugerat, ad altare Dei crudelissimè interficit. Pari furore commotus Lūdinum proficiscitur, & huius fratrem in cœnobio religiosorum virorum latitantem, dum salutis causa sic ad altare prorumpit, nihil veritus præsentiam Dei, homo impius occidit: ipséq; pòst, ab Aurelio Conano suo proprio nepote, ciuilibus armis lacessitus, in campo aperto interficitur; & propè Vtherum Pendraconem in sepulchro communi Britannorum Principum, cùm tres annos regnauisset, sepelitur.

Hic, quem dixi, Conanus optimæ spei adolescens, dignus habitus est insulæ monarchia, quòd in rebus agendis semper audax, & admodum in contrahendis negotijs esset liberalis: donec pessimi belli ciuilis auctor, eos, qui dissidia quærerent, amaret; patulasque aures

his, qui

his,qui alios siue iure,siue iniuria accusarēt, temere præberet.

Quibus rebus cognitis Britanni, fornicationes, adulteriáq; eius, sicut auunculi Constantini detestantur, ipsumque, qui patriæ quietem ferre nequit,vti serpentem,populo mortiferum,abominantur. Et quod ipse pertimescebat,ne filij Modredi,filios duos suos, à successione Britānici regni prohiberēt,hoc per Aurelium Conanum, iusto iudicio Dei perficitur. Nam is parricidij reus,auunculi natos, quos inclusos carcere,ne regnare possent,continebat; postea crudeliter,& consobrinos,& innocentes, &,quod natura hominibus adfert, vt se contra vim defendant, tamen non resistentes,homo immanis occidit. sed eo fortunatus, quòd nisi per annos tres
27. rexerit, ne propter summam rerum malè 27.
administratā,infamis apud posteros haberetur. Ei Vortipor cognomento Sinduallus in imperio succedit,vir ætate quidē prouectior Conano,capitéque canus,sed moribus plane non absimilis. Constupratus enim parricidijs, adulterijsque, boni Regis Demetarum filius nequam, & tyrannus, coniugem propriam amouit. eáque honestè mortua,filiam impudentem, stupro, quasi malorū omnium culmine,sceleréque ineluctabili,ducit. Quia tamen ciuium amantissimus, publicæq; tranquillitatis eorundem, ac pacis videbatur esse studiosissimus: suisq; commodis priuatis ea,

quæ

qui tam corpore robuſtus, quàm armis potẽs erat. ceteriſque Principibus liberalior, vita moribuſque præclariſſimus habebatur, donec peſtifera Sodomorum libidine infectus, Deo ſe, hominibuſque infeſtum reddidiſſet. Primis annis ſuæ adolcſcentiæ facinus indignũ, crudeleque admiſit. proprium auunculum Regem cum fidiſſimis propemodum militibus in aciem vocatum, pugnantemque, enſe, haſta, igni nepos lõgè improbiſſimus oppreſſit. poſtquam ex animi deſiderio ius regni per vim accepiſſet, præteritorum ſcelerum admonitus à præceptore, quem penè totius Britanniæ magiſtrum elegantiſſimum habebat, ipſe homo nequiſſimus, & diebus, ac noctibus immanium peccatorum conſcientia diuexatus, ad rectam viuendi normam, & ad monachorũ decretis in religioſa domo ſemper obtemperandum, ſe conuertit. ibi tamquam ex coruo, vt aiunt, columba factus, omnis regni, auri, argentique, & quod his rebus maius eſt, propriæ voluntatis immemor, votum omnino caſtè viuẽdi perpetuò, facit. At enim ea, in corde tã inquinato, ficta deuotio non diu manſit. contra ius, faſq; citò monaſticũ ordinem repudiat. ex agno miti, quod aiunt, confeſtim fit rapax lupus. omnia crudelis & inſtar prędonis, bona ciuibus aufert. ſcelera ſceleribus àdcumulat. poſt monachi votum à ſe ſacrilegè factum irritum, primas, licet illicitas, iure tamen præſumptas, coniu-

gis nuptias aſpernatur, & aliam viri, adhuc viuentis,ſcientiſque vxorem ducit,nec illam quidem hominis exteri, ſed ſui fratris filij coniugem turpiter adamando, ſibi ſumit, maritumque horrendo parricidio interficit. iterum propriam vxoré,quaſi ſemper eã detenturus,reuocat domum. ſed poſt paulum, ſummo cũ facinore ipſam occidit.tunc alterã à thoro viri,per ſe interfecti,viduam factam, impuro & conſcelerato rurſus connubio ſibi adſciſcit; illam,cum qua femina tam inhoneſto, ac turpi amore colluſit; cuiuſque ope & cõſilio tantas, & tam ſubitas peccatorum moles,iſte Rex aggregauit,vt publicæ, fallaceſq; paraſitorum linguæ,etiam per compita illius turpitudines conclamauerint. Nihilo tamen ſecius in re bellica præpotens, atque felix Britãnorũ Rex habitus eſt Malgo,qui ſex in-
29. ſulas,29.quas vocant Prouinciales,ſub imperio continuit,annoque quinto,poſtquàm regere cepit, vitam morte commutauit.

Ei ſufficitur in Regno Cathericus, Princeps Deo, Britonibuſque, quòd ciuile bellũ amaret, diſſidiumque quæreret, inuiſus, & nulla re proſperè geſta, felix. Cuius inconſtantiam ingenij cum Saxones cognouiſſent, eoque tempore Gothemundus, cum ingenti exercitu per Oceanum diu nauigans, ex Hibernia fortè, temerè, caſu,in Britanniam appuliſſet,huic ſeſe applicant, & cum eo pactis fœderibus coniuncti,debellatũ ex omni loco

Cathe-

Cathericum, obſeſſumque vrbe Siceſtria, pòſt in Gallias, vltra Sabrinam, fugere cogunt. ibi, cùm tres annos 30. regnauiſſet, moritur. 30.
à quo tempore Britones in varias regiones diſperſi, pulchrum diadema Regni, quòd habebant, perdiderunt; & ita domeſticis motibus confracti, qui longe poſita regna quondam poſſidebant, hoc tempore patriam, coniuges, liberos, & templa Dei, araſque Diuorum, ab hoſtibus Chriſtianæ fidei defendere non poſſunt. Cauſa tanti mali, eſt diſſenſio, quæ naſcitur ex bello ciuili, Principumque inter ſeſe diſcordia, cùm alter alteri pro communi omnium vtilitate, comiter in rebus licitis & honeſtis obtemperare recuſat. Ergo Britanni, qui ad Gallias, quas ſuprà demonſtrauimus, & Corinualliam, Occidentis prouincias, receſſerunt, ſub tribus Principibus vitam agebant. ſimiliterq; Saxones, nondum inſulæ Regnum 31. conſecuti, tres, quibus 31.
erant ſubditi, conſtitutos Principes habebant; eáque inter Bitãnos & Saxonas Hexarchia, plurimorum bellorum cauſa fuit. Horum trium Britannorum Principum potentiſſimus ſemper, fortiſſimuſque habitus eſt Caduanus. & idcirco ex Venedotiæ Principe iam Britannorum factus Rex, impoſito capiti diademate cingebatur. Ille de finibus Venedotorũ cum ampliſſimis copijs exiens, ſæpenumerò graue bellum Ethelfrido Regi Northumbrorum intulit.

Quibus rebus cognitis, Primus Gregorius Romanus Pontifex, Augustinum, cum eoque quadraginta viros, in Britanniam mittit, vt Anglis, Saxonúq; populis, verbum Dei prædicarent. nam inanium deorũ superstitionibus, vt suprà demõstrauimus, obcæcati, pene totã Christianorum religionem in locis, quæ possidebant, iam extinxerant; quantumuis eadem, ab Eleutherij Pontificis temporibus inuiolata permansisset. Proinde cùm Augustinus illò venisset, in prouincia Britãnorum, Archiepiscopatum vnum, & Episcopatus septem, religiosissimis præsulibus adhuc exornatos reperit. Monasteria verò cõplura, quibus ordine recto populus Christianus instituebatur. Inter ceteras eorum ciuitates erat Banchor. cuius ecclesia tot habere monachos dicebatur, vt cum religiosa domus in septem partes, vnà cũ suis Præpositis simul adhibitis, diuideretur, tunc vnaquæq; partitio non pauciores, quàm trecẽtos, qui labore victum, vestitumq; quærebãt, viros haberet. Eorũ Abba Dinothus, liberalium Artiũ, & doctrinæ vir peritissimus, Augustino petenti ab Episcopis Britannorum, signa subiectionis, quam Apostolicæ Sedi Romanæ debebant; suadentique communem operam Euangelicæ prædicationis, erga gentem Anglorum, vnà secum præstare, respondit: Subiectionem ab ipsis, qui suum Archiepiscopum, cui subijciuntur, haberent, non deberi. Saxonibus autem, inimicis,

micis, 32. qui de rebus ab se per vim ablatis, 32.
iuste restituendis, nõ cogitarent quidẽ; prædicationis officium nolle præstare. cùm eorũ religio, sine iustitia; & eorũ fides, sine operibus, vana foret. Augustinus Britannorum sacerdotum auxilio destitutus, ad Episcopos in continente vicinos, pro adiumentis scribit. qui & ipsi, cùm ad eam rem perficiendam suos sacerdotes mittere recusarent, Augustinus negotiũ ad Gregorium Põtificem refert. Is ad Theodebertũ, & Theodoricum, Frãcorũ Reges, Childeberti filios scribẽs: Peruenit ad nos, inquit, Anglorũ gẽtem desiderare cõuerti ad fidẽ Christi, sed vestros sacerdotes negligere, eorũ desideria suis exhortationibus accendere. Quocirca dedimus in mandatis Augustino, cum alijs, quos illò misimus, vt aliquos è vicino presbyteros secum abducerent. Eam ad rem, quæsumus, vt fauoris vestri gratiam inueniant. & quoniam animarum est causa, quæ agitur, vestra Potestas Regia illos tueatur, ac iuuet. Idem scribit ad Brunichildim Sigeberti viduã Reginã, vt ipsa quoque rem tã piam, modis omnibus procuret. Episcopis autẽ Galliæ pręcipit, vt monachos ad Augustinum proficiscentes in Britãniam, humaniter accipiant, viam aperiant, eorumq; bonam voluntatem fauore prosequantur.

Tum, quod est summum totius rei caput, litteris Aethelbertum, Anglorum in Cantio Regem, cohortatur, vt ipse Constãtini Magni

33. exemplo, 33. & Aldiberta Regina, exemplo Helenæ, veram Christi religionem in omnes populos sibi subditos prædicari curent. nam ita fore pollicetur, vt recte per Dei gratiam, diuque in Britannia imperent.

Quibus litteris perlectis Aethelbertus, vbi Britonas Augustino, nunc à Sede Petri, Anglorum, facto Apostolo, subiectionem: eorumque sacerdotes, ad prædicationem verbi Dei, operam negare cognouit: Legatos ad Ethelfridum Northumbrorum Regem, cæterosque Saxonum Regulos mittit, qui eos, habito militum delectu, & ciuitatem, & monasterium, nominatimque Dinothum, ac reliquos clericos, qui Augustini monita spreuissent, vi & armis castigare, sollicitarent. Cuius quidem iræ Regis, tamquam diuinæ vindictæ, diligenter eos Augustinus præmonuerat. Nam Ethelfridus, cæterique Saxonum Principes, hanc persequendi Britonas occasionem lubentes amplectuntur: in eorum prouinciam cum exercitibus veniunt, Leircestriam obsident. quò innumerabiles monachi, heremitæque plurimi, ex omni loco, sed de vrbe Banchorensi potissimum confu-
34. gerant, vt pro salute populi, 34. Deum orarẽt. Britannorũ Dux eo tempore fuit Brochuellus, Pouisiæ Rex, & Leircestriæ Consul, qui sic armato Ethelfrido, videns se pauciore militum numero, non posse resistere, vrbem relinquit, suosq; cohortatus, è portis erumpit, inito-

initóque prælio, magnam Saxonum ſtragem facit, & continuò fugit. Ethelfridus vrbe Leirceſtria tam feliciter capta, tot monachorũ numeros admiratur, cauſáque aduẽtus eorũ cognita, in ipſos primùm arma cõuerti iubet; quos mille ducentos vno die interficit. Et quia per homines à fide Chriſti alienos, ſuo ſanguine peccatum expiauerunt, Martyres eſſe creduntur. Inde caſtra ad excidendam vrbem Banchorenſem Ethelfridus mouet, ſed hac inſania eius cognita, Rex Caduanus, & Bletruſius Dux Corinualliæ, ac Meredocus Rex Demetarum, ceteríque Britonum Principes, collectis iterum copijs, Ethelfrido armati occurrũt: Dinothíque oratione doctiſſima cõcitati, cũ Saxonibus prælium conferunt, vulneratumque, in fugam vltra flumen Humbrum, Regem conijciunt; deóq; militibus eius decem millia, & ſexaginta ſex, fortiſſimè pugnando, interficiunt. è Britonibus autem vnus Bletruſius Dux, occubuiſſe fertur. ita prius mille ducentorum Chriſtianorum internecio, hac aduerſariorum pœna, eſt litata.

Sed nec iſta Caduanus, vltra flumen reiectione contentus eſſe voluit, cùm Británis ad ſe, ex omni parte congregatis, militibus Humbrum tranſire contendit. Id vbi cognouit Ethelfridus, Saxonas confeſtim aduocat, & obuiùs Caduano procedit. Ambobus ad arma ſumẽda paratis Principibus, amici quidem, ne congrederentur, ab vtriſque pacem

iniri tali pacto suadent, vt Ethelfridus trans
35. Humbrum, 35. Caduanus cis flumen, Britanniam pro suo possiderent. hanc illi conuentionem, iureiurando, & obsidibus datis confirmant, tantaque cum beneuolentia simul vixerunt, vt omnia inter se, more perfectissimorum amicorum, habere communia dicerentur. Sed, vt nihil diu felix, in conditione Regum constare potest, cũ Ethelfridus odio prosecutus vxorem suam, de domo, atque toto Northumbriæ regno eijceret; eaque prægnans Caduanũ spe conciliationis accesserit, nec recipi tamen potuerit, quòd maritus eius interim aliam duxisset; ipsa tũc mansit apud Caduanũ, ibidemq; filiũ, qui dictus est Eduinus, peperit. Et quoniam eodem tempore grauida quoque fuerat eius hospita Regina, post paulum, Caduano nascitur etiam filius, qui Caduallo nominatur. Hi nobilissimi pueri simul ambo nutriuntur, ambo simul educantur, donec adolescentes ætate facti, simul ambo, consensu parentum, ad Salomonem Britonum Armoricorum Regem, vt in eius aula mores principe dignos, militiæque disciplinam vterque cognosceret, mitterentur. Ab eo magnificè, splendidéque in familiam accepti, ambo tam arcta consuetudine cum Rege viuendi, sunt vsi, vt foris ante eum equis vecti ad prælia simul proficiscerentur, & domi, nemo cum Rege secretius versari, aut amicius loqui, de quacumque re posset,
quàm

quàm hi adolescẽtes generosissimi fecerunt. Quorum parentibus vita defunctis, & Caduano quidem, cùm annos 22. regnasset, in Britanniam reuertuntur, atque insulæ gubernacula, pari modo, amicitiaque pari, qua semper hactenus vsi, vel ipsi, vel eorũ patres fuerunt, communiter administrant.

FINIS.

LIBRI OCTAVI AB ARCTVRO AD AETHELBERTVM NOTÆ.

1. Cognomento Riothimum. De Arcturo Britannorum Rege, duplex est quæstio. An vnquam talis vir fuerit? &, si fuit, An tantus Rex, quãtus dicitur, fuerit? Quòd nunquam extitit, Gilbertus Genebrardus lib. 3. Chronographiæ sub anno Christi 498. affirmat. Hîc multa Galfridus & Balæus vanissimè, inquit, de suis Britannis confingunt, vt regni cuiusdam noui iaciant fundamenta, quod antiquitate & nobilitate cũ Francico & Hispanico certet, imò superet. Arcturum magnum, qui numquam extitit, vt ex Beda potest intelligi, tempore Clodouæi, profligasse Saxones, mirabiliora gessisse per totum ferè orbem, quam Alexandrum Magnum, Christianũ fuisse, & cætera. Eius tempore viguisse Thelesinum Helium ex Bardorũ genere, Philosophum, Mathematicum. primũ poëtarum suorum. Huius auditorem fuisse Merlinum, ex patre incubo vatem, & astrologum, qui cometarum effectus, & planetarum motus monstrabat. Anglicas & Gallicas regiones peragrabat. De regni Anglici, & religionis mutatione, sub finem mũdi ventura, prædicebat. Nauclerus vol. 2. generat. 7. Hæc & alia mendacia refellit in proœmio rerum Anglicarum, Gulielmus Neubrigensis, & quidem Anglus. ita Genebrardus. cuius tamẽ sodalis Arnoldus Pontacus lib. 2. chronographiæ sub anno Christi 498. Merlinũ agnoscit vatem, vt lib. 7. nota 21. declaraui, quem non incubo patre natum, vt vulgo fertur, ostendi. nec vera semper dixisse Nota 28. demonstro. quod an procedat in mutatione religionis sub finem mũdi ventura, de qua loquitur Genebrardus, non scio. quæ neque scio, an hæc nostra tempora intelligat, sub finem mũdi venisse, quibus temporibus maximam religionis mutationem vidimus, eius videlicet, quàm Arcturus profitebatur, Religionis Christianæ Catholicæ Ro-

sæ Romanæ; vtpote qui nepotem ex Anna sorore Galganum, Simplicio tradidit, quem Gaufridus lib. 7. c. 3. Sulpitium papam nominat; sicut & Genebrardus ex Palmerio, sub anno Christi 470. mundi autē 4558. quo tempore Anthemium Imperatorem, à Riothimo rege Britonum opem, contra Erricū Vestegothorum regem implorasse scribit. & addit: Hunc Riothimum Britanniæ Gallicæ regem primum nominatum reperiri. fortasse ab Armoricis (inquit) populis lectus fuit, studio defendendæ libertatis: cùm post Aëtij mortem, nihil sibi amplius à Romanis præsidij expectarent. Quia autem Riothimus fortassis erat ex illis Armoricis populis, quos antiquitus Britones appellatos Plinius & Strabo tradiderunt: inde fortasse tota regio Britanniæ, siue Britoniæ nomen est deinceps consecuta, non ab aduenis Britannis, quos ex insula ab Anglis fugientes Gildas sic describit, vt Armoricorum in se miserationem cōuertisse potius, quàm vi & bello, cū ipsis coijsse ostendat. Hic ergo Britonum historia, siue illi sint aduenæ, siue antiquiores, & indigenæ, incipit. ita iterum Genebrardus. qui si produxisset authores suæ opinionis dubiæ, per verba, fortassis, & fortasse, ab ipso prolatæ, citius ei crederetur. apud quem enim authorem reperias, vt ipse dicit, hunc Riothimum Britanniæ Gallicæ regem primum nominari, & ab eo incipere Britonum historiam! Equidem Iornandem, & Sigebertum secutus, Genebrardo satisfeci lib. 7. Nota 30. & Arcturum, cognomento Riothimum esse, demonstraui. Sed quia consequēter ijs, quæ ibi recitauimus, In alijs historijs (inquit Sigebertus) nullam de Riothimo mentionem inuenimus, & ipsa Britonum historia supputationem annorum, quibus Arcturus, & multi alij regnauerunt, vel apertè non dicit, vel omnino tacet: nos neq; dubia pro veris affirmamus, neque historicā narrationem, quæ nuper de Britānico in Latinum translata est, (intelligit per Gaufridum Monemuthensem) lectori subtrahimus. Multam enim inter historicos variare considero diuersitatem, non solùm cū annis, sed etiam in gestis, atque nominibus personarum: vt, quod iste fecerit, alius fecisse, vel dixisse videatur, & quod hoc

anno euenerit, in alio anno euenisse dicatur, & res gesta, quæ hoc modo ab vno historico describitur, ab alio multum dissona ratione narretur. Hæc Sigebertus, in sententiam nostram inclinans, & propter diuersitatem historicorum in nominibus personarum, & quoniam illo loco inserendi erant ex ordine temporis res gestæ Arcturi, fuisse eũ, Regem eũdem, qui Riothimus ab alijs vocaretur, quodãmodo affirmat. Nã vnde Genebrardus ex Beda colligere posset, Arcturũ nũquam extitisse, profectò satis nõ assequor. nisi quòd nullã de eo fecerit mẽtionẽ. quod ego magis in Florentio Brabonio Vigorniensi Chronico sum admiratus, qui res Anglorũ, Saxonũque humanas amplissimè scripsit, quàm in Beda, qui solam eorumdem historiam Ecclesiasticam composuit, ad quam res gestæ Arcturi pertinere non videntur. Attamen quia Genebrardus ex proœmio historiæ rerum Anglicarum Gulielmi Neubrigij, suæ sententiæ fundamenta petit, quanquam Anglus de Britone non est idoneus testis, sed, vt Cicero suasit in quæstione, An Zaleucus vllus fuerit, audiendos esse ciues Locros, quorum legistator esse dicebatur, quemadmodum lib. 4. Nota 1. declaraui, sic, an Arcturus vnquam fuerit, audiendi essent Britones, quorum Rex esse ferebatur; nihilominus haud percipio, Neubrigiũ negare Arcturum extitisse, verũ hoc dumtaxat, eumdem non fuisse Regẽ tantum dicit, quantus à Gaufrido laudibus effertur. Sic enim, habuit gens Britonum ante nostrum, inquit, Bedam, proprium historiographum Gildam. qui Brito de Britonibus scribere non veretur, quòd nec in bello fortes fuerint, nec in pace fideles. At contra quidam nostris temporibus scriptor emersit, ridicula de eisdem figmenta contexens, eisque longè suprà virtutem Macedonum, & Romanorũ impudenti vanitate attollens. Gaufridus hic dictus est, agnomen habens Arcturi, pro eo, quòd fabulas de Arturo ex priscis Britonum figmentis sumtas, & ex proprio auctas, per superductum Latini sermonis colorem, honesto historiæ nomine palliauit. Ex quibus verbis Neubrigij non constat, Arcturum numquam extitisse, imò contrà, illum fuisse virum clarum, & priscis Britonum poëmatis celebratum; vsque

tum; vsqueadeo, vt Gaufridus ex laudibus eius collectis, agnomen Arturi acceperit. De cuius historiæ, quæ in manuscriptis libris, Historia Britonum appellatur, & ex Britannia continentis, in insulam portata fuit, antiquitate, declaraui satis multa lib. 1. N. 38. De cuius etiam historiæ fide, testimonium Iudoci Badij, eiusdem typographi, & epigramma ad Iuonem Cauellatum Iurisconsultum lib. 2. Nota 8. produxi. nunc huius Iuonis ad Lectorem tale, quidem extat epigramma:

Inclyta Dardanidum, si stemmata noscere Regum,
Brittonicúmque genus, quod venit inde, petis.
Ecce tibi, verum poteris contingere callem.
Quo (duce Gaufrido) verius orbe nihil.

Quem Gaufridum, fuisse Monemuthensem, librūq; continere Britanniæ vtriusque Reges ex antiquissimis monumentis Britannici sermonis in Latinum traductos, titulus ipse typis excusus demonstrat. Antonius tamen Posseuinus lib. 16. bibliothecæ selectæ c. 7. historiam Galfridi Monemutensis de origine rebusq; gestis Regum Britanniæ, ponit diuersam, à Galfridi Arcturi Angli libris octo, de rebus Britãnicis. quos non duos historicos, sed vnum. eundemque cognomento Arcturum esse vocatum, in odium regis Arcturi, scribit Neubrigius, eumque sequitur Cambdenus, quem ego quoque, quantum ad hoc cognomen pertinet, abiecta reprehensione fabularum, supra lib. 1. nota 38. sequebar. Idem Neubrigius iterum, Certè Britones, inquit, Romanis recedentibus, sui iuris effecti; imò ad suam perniciem sibi relicti, Pictisque ac Scotis ad prædam expositi, Regem Vortegirnum habuisse leguntur, à quo ad tuitionem regni, Saxones, vel Angli duce Hengisto in Britanniam inuitati venerunt, & irruptiones barbaricas pro tempore depulerunt. postea verò explorata insulæ fertilitate, & indigenarum inertia, rupto fœdere in ipsos arma verterunt. quibus paulatim profligatis, miseras eorum reliquias, quæ nunc *VValenses* vocantur, in inuijs montibus, & saltibus coartarunt. Habueruntque per seriem successionis, reges fortissimos, & latè dominantes. è quibus fuêre Ethelbertus, Hen-

 tus, Hen-

tus, Hengisti pronepos, qui protenso à Gallico mari vsque ad Humbrum imperio; leue Christi iugum Augustino prædicante suscepit. Ailfridus, qui Northumbranis præsidens, Britones simul & Scotos vasta cæde perdomuit. Edvvinus, qui Ailfrido succedens, Anglis simul & Britonibus præfuit. & Osvvaldus eius successor, qui cunctis Britanniæ populis imperauit. Hæc cùm iuxta historicam veritatem à venerabili Beda expositam, constet esse rata: alia cuncta, quæ homo ille de Arcturo, & eius successoribus, vel post VVortegirnum prædecessoribus scribere curauit, partim ab ipso, partim & ab alijs constat esse conficta, siue effrænata mentiendi libidine: siue etiam gratia placendi Britonibus: quorum plurimi tam bruti esse feruntur, vt adhuc Arcturum, tãquam venturum expectare dicantur, eumque mortuum nec audire patiantur. ita Neubrigius, non contentus Gaufridi nomen insectari, alios etiam historicos acerbissimè de mentiendi libidine reprehendit; & à Vortigerno ad Aethelbertum historiam cẽtum quinquaginta annorum, mauult hiulcam relinquere, quàm vt Arcturus in ea saltem nominetur. nam de regibus per seriem successionis interim gubernantibus, ego publicum Britannorum Principum ordinem secutus, partim hactenus scripsi, & partim deinceps scripturus sum; nisi quis certiorem mihi posset seriem ostendere. etenim quæ sit illa series, quam ipse nominat, ignoro. Cęterum ille vetus error populi de Arcturi quadam immortalitate, tamquam non mortui, sed iterum ad regnãdum in Britannia venturi, confutatus est à me orat. 3. nota. 11. qui tamen edito libro comprehensus olim, & à vulgo frequenter lectus erat: sed hodiè à Concilio Tridentino liber ille inscriptus, Arturus Britãnus, meritò prohibetur: sicut prædictiones Merlini, de quibus lib. 7. no. 21. Nam, vt ait Sigebertus anno 542. Ipse Arturus iuxta Merlini vaticinia dubium habet exitum, quia vtrum viuat, an mortuus fuerit, nemini certum esse existimatur: quæ nullam fidei authoritatem habere vidẽtur. Tertiò Neubrigius, defuncto, inquit, Vtherpẽdrago, facit succedere Arcturum filium suum in regno Britanniæ, à Vortegirno

quartum

quartum, sicut noster Beda ponit Ethelbertum Augustini susceptorem in regno Anglorum, ab Hengisto quartum. Itaque regnum Arcturi, & ingressus in Britāniam Augustini concurrere debuerunt. Quibus verbis nescio, an velit Neubrigius Hengistum succedere Vortigerno, & eū sequentes in solo Cantij regno vsque ad Aethelbertum, numeret pro Regibus Britanniæ; quod nemo facit; & rectè facere nemo potest, cùm tunc regna diuersa septem forent, Cātianorum, Suthesaxonum, Vestesaxonum, Estesaxonum, Estanglorum, Merciorum, & Northumbrorum, vt lib. 6. not. 26. dicebam. quorum septem regulos fuisse scribit, Polydorus in proœmio lib. 4. & in principio eiusdem libri, Ethelbertum, quintum ab Hengisto nominat. Post quem Georgius Lilius in epitome Chronices Anglosaxonum *Heptarchiā* in Britannia Grecè vocat, & licet Angliam, quasi Hengisti terram, etymologia dictionis Anglicæ, *England*, propiore dictam esse scribat, vt suprà lib. 7. Not. 13. retuli, nusquam tamen Hengistum facit Britanniæ Regem, sed in serie Regum Anglorū Ecbertum, primum constituit, & Angliam nunc Anglitertam vocari demonstrat. Quod verò Beda lib. 1. c. 22. præterit silentio Reges, eorumque res gestas ab anno imperij Marciani 6. cum Valentinianus qui occiderat Aëtium Patricium, vicissim à satellitibus Aëtij perimeretur, post Christum natum anno 455. vsque ad annum Mauritij 10. qui fuit Christi 582. spacio cētū viginti septem annorum, hoc prudens lector animaduertet eum facere, nulla eorundem obliuione sed festinatione, ad propositam sibi narrationem de historia ecclesiastica gentis Anglorum. ideoq; pro illis rebus sciendis, nos ad Gildam historicum Britannorum allegat. ex quo sumit ibidem hoc tantum, quasi pertinens ad suum propositum, Quòd Britanni, nunquam genti Saxonum, siue Anglorum, secum Britanniam incolenti, verbum Dei prædicarent. Sed non tamen diuina pietas (inquit Beda) plebem suam, quam præsciuit, deseruit; quin multo digniores veritatis præcones genti Anglorum, per quos crederent, destinauerit. & statim c. 23. de missione Augustini, & sociorū eius à Gregorio

Pontifice Romano proponit. Gildas autem incipit à Constantino quarto, rege Britannorum, sub quo natus est, successore quidem Arcturi: sicut Neubrigius à Stephano rege Anglorum, sub quo natus est, successore quidem Henrici primi, Regis eorumdē quæ probabilis est causa taciturnitatis eiusdem de Arcturo. quod adfero propter notam, quam Polydorus apposuit in margine libri Gildæ à se editi verbis his: Constantinus iste rex est, qui secundum Gaufredum Arthuro successit, de quo Gildas nihil meminit. nam cùm eius intentio præcipua fuerit, Regum vitia, populique reprehēdere (vnde illius epistola vocatur, castigatio Gildæ) rectè Neubrigius illum in veritate promenda non parcere propriæ genti, & cùm admodum parcè bona de suis loquatur, multa in eis mala deplorare scribit: sicut in Constantino, in Conano, in Vortipore, in Malgone Regibus sui temporis facit. Igitur Humfredus Lhuidus in fragmento Britannicæ descriptionis sub finem, refutans illud à Gilda dictum, Britonas nec in bello fortes, nec in pace fideles esse, primum dubitat, an hoc opus sit ipsius Gildæ proprium. quippe hoc male dictum de Britannis, vt in prouerbium, & derisum longè lateque efferri scribit. Neubrigius tamen, quem Polydorus lib. 1. Anglicæ historiæ sequitur, vt auctorem, qui circiter annum Christi. 1195. cum Ricardo primo Anglorum rege vixerit, non dicit hoc fuisse, prouerbium longè lateque dispersum, ad irrisionē Britannorum. Proinde hoc dico, inquit Humfridus, hunc Gildam, non historiographum, sed sacerdotem, & concionatorem fuisse, qui semper in vitia suorum nimis acriter inuehi solent. ex qualibus concionibus, si quæramus authoritates historiarum, quæ parochia, quæ vrbs, quæ gens, quod Regnum ab infamia immune erit? Quid Bernardus de Romanis scripsit? eos impios, infideles, seditiosos, inuerecundos, proditores, grandiloquentes, & exigua agentes, vocat. Hæc, vt vitia vitentur, & vita reformetur, non quòd tales sint Romani, aut Britāni, pro more dicuntur. Nec aliquis, ex sermonibus sacerdotum, in peiorem partem eorum sentētijs detortis, conuentum, ciuitatem, aut populū infamia notare debet. sic Humfridus.

fridus. cuius opinio est æquissima. Nihilo tamē secius Gulielmus Neubrigius quartò, Ipsum, inquit, Arcturū facit præclarū, & spectabilem super oēs homines, tantūq; illū in rebus gestis vult esse, quantū sibi libuit fingere. Deniq; in primis facit eū de Anglis, Pictis, & Scotis, ad libitū triumphare. insuper Hiberniam, Noricā, Orchades, Gothiā, Daniam, partim bello, partim etiā solo terrore nominis, ditioni suæ subiugare. quibus addit Islandiam, quæ vltima Thule secundū quosdā dicitur. adeo vt illud hemistichiū Vergilij, tibi seruiet vltima Thule, quod Augusto Romano, à poëta nobili adulatoriè proferebatur, hoc ad Britonem istū in veritatē spectare videatur. deinde facit eū bello pulsare Gallias, & de ipsis in breui subactis felicissimè triumphare: quas Iulius Cæsar cū summis periculis, atq; laboribus vix potuit annis decē subiugare. scilicet, vt minimus digitus huius Britonis Arcturi, lumbis magni Cæsaris grossior esse videatur. ita Neubrigius, contra magnitudinem potius, quàm essentiam Arcturi pronunciat, neque solū Gaufridum, vt mentientem in historijs, gratiā placendi Britonibus suprà, sed nūc Vergilium quoque; tamquā Augusti Cæsaris adulatorē reprehēdit. cùm tamen ego lib. 1. No. 15. Thulē Aegyptiorū regē, vsq; illò, ad Oceanū fuisse dominatorē, explicuerim & Not. 13. Gurguntiū Britannorum regē ex Dacia victorē redijsse demonstro. Quibus nūc adijcio, quod Iornandes de rebus Geticis c. 2. de Britannia, & c. 3. de Scanziæ insulæ situ, & nationibus Sunt, inquit, Cogeni in hac gēte, reliquis corpore eminētiores, quāuis & Dani ex ipsorum stirpe progressi, Erulos proprijs sedibus expulerūt: qui inter oēs Scāziæ nationes nomen sibi ob nimiā proceritatē affectant præcipuū. & c 5. Hunugari, inquit, hinc sunt noti, quia ab ipsis pellium murinarū cōmercium venit. quos tantorū virorū formidauit audacia. Quorū māsionem primam esse in Scythiæ solo iuxta paludem Moeotidem, secūdò in Mœsia, Thraciaq;, & Dacia, tertiò supra mare Ponticum, rursus in Scythia legimus habitasse. nec eorum fabulas alicubi reperimus scriptas, qui eos dicunt in Britannia, vel in vna qualibet insularum, in seruitutem redactos, & vnius caballi precio

E quondam

quondam redemptos fuisse, ita Iornandes. cui fabula videri potest, de his populis redemptis precio vnius caballi. sed veritas esse videtur, eos Scandiæ incolas in seruitutem redactos fuisse per Longhonem, & Bardum communes Britannorum Celtarumque reges, qui bellum ipsis intulerunt, eosque vicerunt, vt lib. 1. Nota 23. & 24. declaro. Galliam verò non vniuersam, sed eam, quę Celtica dicitur, & cōmunis imperij cum Britannis ab origine fuit per ordinem 24. Regum, eamque vix nouem annis, Arcturus recuperauit, neque sine maximis pugnandi acerbitatibus, tam aduersus Flauium Pollionem, quàm contra Tiberium Hiberum, duces Romanorum, qui tunc eas regiones possidebant. Verumtamen Neubrigius quintò, Post hæc, inquit, cum triumpho multiplici reducit eum in Britanniam, & facit eum cum subactis regibus, & principibus festum celebrare sanctissimum: præsentibus tribus Britonum Archiepiscopis, scilicet Lundoniarũ, vrbis Legionũ, & Eboraci: cùm ne vnũ quidem Archiepiscopũ vnquam Britones habuerint. Primus enim Augustinus accepto à Romano Pontifice pallio, Archiepiscopus in Britannia factus est. sic Neubrigius, ignorantiam antiquarum historiarum Britanniæ suam prodit: vbi tempore Lucij Regis mutatio Flaminum, & Protoflaminum, in Episcopos, & Archiepiscopos fiebat, quemadmodum lib. 5. Not. 2. monstraui. Quod pertinet ad celebritatem festi, si Rolandi sui figmentis similia esse, quæ de Arthuro scribuntur, Polydorus existimet, parum illis historicis tribuet credo, (inquit Caius lib. 1. de antiquitate Cantabrigiensis Academiæ) qui Assuerum, (quem Latini Xerxen vocant) tradunt conuiuium maximis sumtibus, & delitijs celebrasse Susis, in regia Cyri, ex candido varioq; lapide stratâ, columnis aureis suffulta, lacunaribus aureis concamerata, gemmis distincta, cœli faciem imitantia, mirantibus stellis radiata, multisque alijs insignita, quæ fidem credo apud eumdem superarent. Denique Neubrigius, Vt suum Arturum inquit, ad summum euehat, eum facit Romanis bellum indicere, & ante hoc bellum singulari certamine miræ magnitudinis Gigātem prosternere; cùm

post Da-

post Dauidica tempora de nullo Gigante legatur. quod à Neubrigio dictum, de nullis Gigantibus, confutat Saxo Grammaticus, Danorum historicus diligentissimus, in præfatione suarum historiarum, & Olaus Magnus Archiepiscopus Vpsalēsis libro quinto epitomes, qui totus inscribitur, de Sptentrionalium Gigantibus. ego tamen de Arturi pugna cum gigātibus, nihil contexui, ne cui fabulosum esse videretur. Arcturi enim historiam, inquit Caius, vehementer laudo, quòd erat Rex dignus, quem veraces historiæ prædicarent quippe labentem patriam sustinuit, & fractos ciuium animos in bellum acuit, multaque alia egregiè gesta pergetrauit. fabulas enim volo tolli, non personam. nam audio in Arce Londinensi adhuc superesse vetus scriptum, quod Iurisconsulti, Vidimus, appellant, in quo Arthuri concessionum est mentio. ita Caius, & Arcturum fuisse, & magnum Britannorum Principem extitisse testatur. Polydorus autem lib. 3. eumdem agnoscit Vtheri filium atque successorem, virū profectò talem, qui si diutius, inquit, vixisset, rem propè perditam suis omnino Britannis tandem aliquando restituisset. Sed non agnoscit illum esse tantū, quantus effertur. idcirco subijciens, de hoc principe, inquit, propter ingentes pariter corporis vires, atque animi virtutes, posteritas fermè prædicauit ea, quæ de Rolando Caroli Magni ex sorore nepote, memoria nostra decantantur apud Italos. quippe vulgus etiam nunc mirandis laudibus Arthurum fert in cœlum, quòd tres Saxonum duces bello superasset, quòd Scotiam cum vicinis insulis in suam potestatem redegisset, quòd Romanos in agro Parisiorum, cum quodam Lucio, eorum duce deleuisset, Galliamque deuastasset, ac demum gigantes, homines valentes, pugnando occidisset. Gaufridus enim lib. 7. c. 5. narrat Gygantē miræ magnitudinis, nomine Inhumanum, ex Hispania venisse, Helenamque neptem ducis Hoëli, à custodibus eiusdem vi abripuisse, & in cacumine montis, qui nunc Michaëlis dicitur asportasse. hanc dum ille nephandus amplecteretur, inquit, correpta timore animam ipsa exspirauit. cuius in eo monte locus sepulturæ, in hodiernum diem, tumba

Helenæ, nominatur. Hunc Arcturus occidit, Beduerōque præcepit, caput ei amputare, dareque armigero, deferendum in castra, vt militibus spectaculo foret. dicebat autem se non inuenisse alium tantæ virtutis hominem, postquam Rithonem gigantem, qui eum ad prælium prouocauerat, in Arauio monte interfecerat. De quo viro Arcturus, quoniam ex singulari certamine triumphauit, vt Gaufridus scribit, probabile est, eumdem cognomentum Riothimi à Rithone ad posteros reportasse. nam quòd Freculphus episcopus Lexouiensis tomo 2. chronicorum lib. 5. c. 17. vocat eundem, Rotimum Britonum regem, manifestus est error typographi, sicut in nominibus Artemij Imperatoris, & Theodorici regis Gothorum; cum verba cetera sint ipsa Iornandis, quæ recitat & ille lib. 7. nota 30 suprà relatus Riothim ũ, Anthemium, & Euricum nominabat. Sed Claudius Faucherus lib. 2. antiquitatum Gallicarum c. 14. vocat Riothimum regem Britonum, qui videtur, inquit, venisse per aquam Ligeris. sed omissa mentione Oceani, quam facit Iornandes, non significat eumdem nauibus ingressum esse ostium Ligeris, ex insula cum duodecim millibus veniendo, quod Iornandes cogitat. Itaque lib. 3. c. 11. ex domino de Argentre in sua historia Britannica refert, Conanũ à Maximo Imperatore Regem constitutum in minore Britannia, se tenuisse Nantibus, sed per Aquitaniam excurrisse, Garumnam vsque, & Biturigas conquisiuisse, inque sua, & suorum potestate seruasse, donec Gothi venissent, & Riothimũ, (quem Gallicè vocat, Locumtenentem regis Britonum) debellassent. quod nec ipse Præses Fauchetus approbat, nec est verisimile, Imperatorem Anthemium à vicario Regis Britontum constituto Biturigibus, solatia belli tanti deposcere. Nouissimè quod imaginatur Genebrardus fictum Arcturi regnum, vt cum Gallico & Hispanico antiquitate nobilitateque certaret hoc ab Eliota, equite honoratissimo. in Bibliotheca Latinobritannica, longè antè remouebatur. Is enim sic, Arthurus Rex Britanniæ, inquit, vir fuit excellentis fortitudinis, qui contra Saxones quindecim prælia instituit, eosq; vicit, & maximam illorum

illorum partem ex insula tandem eiecit. Scotiam sibi subiecit, & Hiberniam; eo quidem tempore, cùm benè habitata, coleretur. Tunc Aulam sic instruxit fortissimis, nobilissimisque viris, vndique accersitis, vt eiusdem magnificentia, & splendor occasionem dederit Francis, & Hispanis, exercendi sua ingenia in laudanda Regis Arthuri maiestate, vsque ad fabulas propemodum incredibiles. quod non est mirandum, plus in eis, quàm in Græcis, qui similibus inuentis ad excessum laudationis vsi sunt. quamquam re vera fuerit Arcturus, & bello nobilis, & fama clarus princeps: licet historici temporum illorum scriptores, eius non meminerunt; qui floruit circiter annum Christi 510. Quam ego taciturnitatem ad prædictam orationem 3. existimaui procedere, à cessatione profectionis, in vrbem Romam. nunc adijcere possumus, hanc infelicitatem, quòd eius gesta fabulis commixta fuerunt.

2. *Mille passus quadraginta*. sic libro 5. polychronicôn c. 3. Ranulphus Higdenus numerat quadraginta milliaria longitudinis. Sed Humfridus plus, si non est error typographi, per notas arythmeticas eamdem exprimentis. nam priusquam ex Cantio discedam, inquit, de maxima sylua, cuius & Britannici, & Anglici scriptores meminere, dicam. Huntintonensis longitudinem eius 120. milliaria, latitudinem verò 30. continere affirmat; in ea sitam fuisse celeberrimam vrbem, ab Alla rege Suithsaxonum penitus euersam, ita vt nec eius ruinæ jam cognoscantur. Cantiani tamen, & Suithsaxones locum syluæ adhuc *VValden* appellant, nescientes quòd Anglosaxones, vt nunc Germani, syluam, *VValdem*; vt planitiem sine arboribus, *VVolden* vocent. Florentius verò sub anno 491. Sanctus Patricius, inquit, Hiberniæ Archiepiscopus, annorum centum viginti duorum beatissima fine obijt. Aella & Cissa filius suus Andredæ vrbem post longam obsessionem fregerunt, & eius habitatores à paruo vsque ad maximum (sic enim legi deberet, & non, minimum) peremerunt.

 3. *Aposto-*

3. *Apostolicæ Sedis Legatus.* Gaufridus lib.7.c.4. Venerunt,inquit,trium etiam metropolitanarum sediumq; Archipræsules, Londoniensis videlicet, atque Eboracensis,necnon ex vrbe Legionum Dubritius. Hic Britanniæ primus,& Apostolicæ sedis legatus, tanta religione clarebat, vt quemque languore grauatum, orationibus suis sanaret. Hi duo tituli,nempe primatis, & legati Sedis Apostolicæ, tribuuntur hodiè Archiepiscopo Cantuariensi, qui tamen in eisdem obtinendis non Legionensi, sed Lundoniensi episcopo successit,vt lib.7.Nota 16. demonstro. De qua re lib 4.apud Gaufridum. dignitas Londoniæ adornabit Doroberniã: & Menæuia pallio vrbis Legionũ induetur, factą nimirum translatione sedis Archiepiscopalis inde Menæuiam; vnde rursus ob pestem transferebatur hæc dignitas vsque Dolam in continente, sicut lib.7. Nota 27.declaro. Quam ob rem Ecclesia Dolensis asserebat se habere sedem Archiepiscopalem, & omnes episcopos Britanniæ minoris,esse suos suffraganeos. pro qua parte steterit Salomõ ipse tertius Rex Britonũ.Sed Ecclesia Turonẽsis cõtrà, dicebat omnes episcopos Britanniæ ad se spectare, pro qua parte fortiter vrgebat causam, Carolus Caluus rex, & Imperator Francorum. Quibus principum factionibus euenit,vt Archiepiscopus Dolensis partim fauore, partim metu Regis Salomonis, quosdam episcopos deposuerit,& in eorum locum alios subrogauerit. De quo facto Archiepiscopus Turonensis conqueritur apud Ioannem octauum Pontificem Romanum. Ille scribit Salomoni, vt omnes episcopos sui regni mittat ad Archiepiscopum Turonensem, vt coram ipso appareat,vtrum hi episcopi canonicè sint destituti, alijque eisdem legittimè substituti. reseruata quæstione de sede Metropolitana,donec inter hos principes pax fiat. ita Gratianus.causa 3.Decretorum.quæstione 6.canone. 10.

4. *Præsertim Ecclesiasticos.* Trithemius lib. 1. compendij annalium in vita Hilderici Francorum Regis, Anno Dominicæ Natiuitatis, inquit, 463. Hilderico filius,nomine Clodoueus nascitur.qui postea in regno Francorũ successit patri, & primus fidem Christi suscepit.

pit. Quibus temporibus mortuo Vtherpendrago rege Britanniæ, quæ nunc Anglia dicitur, sublimatus fuit regno filius eius, nomine Arcturus; de quo non solum historia Britonum, narrante Galfredo Monemutense, sed etiam voces populorum Angliæ miranda personant, vsque in præsentem diem; licet plura magis sint fabulosa, quàm conformia veritati. deinde post paulum de fabulosis addit: Mira de huius Arcturi natiuitate, simul & gestis futura genitori eius Vtherpendrago, prædixit vates Anglorum Merlinus. Tum de veris adijcit: Qui Arcturus multa probitate morum, prudentia, mansuetudine simul, & humanitate pollens, se cunctis amabilem venerandumque præstare omni studio curabat. quia cum virtute animi, etiam mira liberalitate affluebat in omnes, & maximè in ecclesiasticos, quibus pro Christi amore plura conferebat munuscula, simul & donaria. Saxones & Pictos de Britannia expulit: Scotos, Hibernicos, & Orchadas, suo regno potenter subiecit. Quod cùm reges Daciæ, Noruegiæque audissent, vltrò veniētes, eius se dominio subiecerunt. Idem in libello de septem Secundeis, Arcturus, quem vulgus, inquit, Artum appellat, Rex Britanniæ famosissimus, Barbaros vicit, pacem ecclesiæ reddidit, multa prælia victor gessit, fidem Christi ampliauit, Galliam, Noruegiam, Daciam, & multas prouincias suo Imperio subiugauit. Erat omnium sui temporis Regum gloriosissimus, qui post multa egregia patrata facinora nusquam comparuit, multis annis expectatus à Britonibus redire. de quo mirabiles olim Mimi cantilenas ædiderunt. quo regnante Anglia in flore fuit. Hæc Trithemius, mimorum cantilenas separans ab historica veritate de Arcturo. Consequenter ei Fauchetus lib. 3. c. 9. Moriebatur, inquit, Artus anno 541. Rex magnæ Britanniæ, tanti æstimatus à Romandis, qui eum fecerunt venire vsque Parisios, cùm tamen extra magnam Britanniam, nihil de eo sermonibus auditum fuit. Sanè quidem non est phantasma, neque nomen factum ex placito. nam illud ex antiqua historia certum est, Arcturum fuisse Regem magnæ Britanniæ valentissimum, quæ Britannia nunc, Anglia &

Scotia nominatur. sic Fauchetus, Romãdos, vt videtur, appellans poëtas antiquos de quibus lib. 1. Nota 24. plus dixi. & phantasma, ingeniosè inuentum, pro subiecto exornationis poëticæ. sicut Franciscus Petrarcha epistolarum lib. 2. epistola 20. de sua Laura scribens ad Iacobum Columnam Quid ergo, inquit, ais? finxisse me mihi speciosum Laureæ nomen, vt esset, & de qua ego loquerer: & propter quam de me multi loquerentur? rem autem veram, in animo meo Lauream nihil esse: nisi illam poëticam, ad quam aspirare me, longũ & indefessum studium testatur. De hac autem spirante laurea, cuius forma captus videor, manufacta esse omnia ficta carmina: stimulata suspiria? tale figmentum non esse Arcturum, rectè Præses Fauchetus arbitratur.

5. *In ciuitatem Biturigas.* Iornandes Riothimum regem Britonum venientem cum 12. millibus, in Biturigas ciuitatem, Oceano è nauibus egressum, scribit esse susceptum, relatus à me lib 7. Nota 30. Causa propter quam illò nauibus appulerit ex insula vectus rex Arcturus fuit, quòd olim Celtarum imperij summa, extiterit penes Biturigas, vbi antiquissimus Celtarum rex Ambigatus designabatur, vt lib. 2. Nota 5. demonstro. & quod eam vrbem Conanus Britannis Regibus editus vicisset suisque successoribus Armoricis regibus conseruasset. vt Nota 1. dicebam.

6. *Prope flumen Cleuum.* Stoueus in summa Chronicon, Arthurus Vtheri Pẽdraconis filius, inquit, adolescens quindecim annorum cepit in Britannia regnare, & 26. annos gubernauit, continenter in Saxonas bella grauissima gessit. de quo multa paruæ fidei, ac minoris auctoritatis scribuntur. Sed plerique omnes in hoc consentiunt, Arthurum fuisse nobilem, & in suis rebus omnibus gestis victoriosum Principem. de quo testificantur, ipsum 12. prælia notabilia contra Saxones habuisse, & ex eisdem singulis victoriam reportasse. Nihilominus tamen haud potuit eos omnes de insula penitus eijcere: quin ipsi prouincias retinerent, quarum possessionem nacti iam essent. Sanè quidem Henricus Archidiaconus Huntedunensis relatus

lib. 5.

lib.5. polychronicôn c.6. Cùm Cerdicus Vestesaxonas, inquit, anno decimo regeret, qui fuit Christi 537. quo Bellisarius Romam expulsis Gotthis liberaret, Arthurus bellator circiter annum 18. agens florere cepit. Is duodecies contra Saxones pugnauit, & victoriam consecutus est. primò quidem super riuo Cleui: & postea quater ad riuum Douglas, qui est in prouincia Geuissеorum. Ranulphus addit: hoc flumen Douglas labi subtus vrbem VVygan, quæ 10. milliaribus distat à Mersea in Lãcastrio. Tum pergit Henricus sic: sextum prælium Arcturi contra Saxonas, fuit super flumine Bassa. septimum propè Lincolinum, in sylua Celydone. nonum fuit ad vrbem Legionum. Duodecimum ad montem Badonicum: in cuius obsidione nongentos Saxonas hostes suos occidit, vt Gulielmus Malmesburiensis ibidem ostendit.

7. *Sexcentis nauibus*. Gaufridus lib.7.c.1. defuncto Vthero Pendracone, inquit, conuenerunt ex diuersis prouincijs Britonum proceres in ciuitatem Cilcestriæ, & Dubritio vrbis Legionum Archiepiscopo suggerũt, vt Arcturum filium eius in Regem consecraret. Angebat enim eos necessitas. quòd audito prędicti Regis obitu, Saxones ex Germania suos inuitauerant, & duce Colegrino Britonas exterminare nitebantur. Subiugauerant enim sibi totam partem insulæ, quæ à flumine Humbro vsque ad Cathanesium mare extenditur. Dubitrius ergo calamitatem patriæ dolens, associatis sibi episcopis, Arcturum Regni diademate insigniuit. Erat autem Arcturus quindecim annorum iuuenis, inauditæ virtutis, atque largitatis. in quo bonitas morum innata præstiterat tantam gratiam, vt à cũctis ferè populis amaretur. Insignibus autẽ Regijs initiatus, solitum viuendi morem seruat, largitionibus indulget. Igitur ad eum tanta multitudo militum confluebat, vt quod eis dispensaret, ipsimet deficeret. Statuit ergo Saxones inquietare, vt eorum opibus, familiam, quæ sibi ministrabat, ditaret. Commouebat eum ad id etiam rectitudo, cùm totius insulæ monarchiam hereditario iure obtinere debuerat. Itaque collecta sibi subdita iuuentute, Eboracum petit.

Cùm id Colegrino compertum esset, ipse collegit, Saxones, Pictos, & Scotos, venitque ei obuiam cum maxima multitudine iuxta flumen Duglas: vbi facto congressu, exercitus vtrorumque pro maiori parte periclitabatur. Victoria tamen Arcturus potitus Colegrinum fugientem insequitur, & eum intra Eboracũ obsidet. Badulphus eius frater cum sex millibus virorum accedit, vt ipsum obsidione liberaret. nam ille, cum alter pugnaret, erat iuxta maritima loca expectans aduentum Cheldrici ducis, qui ex Germania vẽturus in auxilium erat. & postea sexcentas naues milite forti oneratas in Albaniam conduxerat. Quo audito dissuaserũt consiliarij sui Arcturo diutius obsidionem tenere. ne si tanta multitudo hostium superuenisset, Britanni dubium cum eis certamen committerent. Paruit Arcturus domesticorum consilio: & intra vrbem Lundoniarum se recepit. sic Gaufridus, cognomenta personarum exprimens, quorum Florentius nomina, Cimenem & Cissam ponit, vt lib. 7. No. 29. declaro. Idem anno 495. Cùm Victor esset vrbis Romæ Consul, inquit, duo duces, Cerdicus, & filius eius Chenricus (sic enim Cheldricum à Gaufrido dictũ vocat, quem ego, vt plerique faciunt, sequor) quinque nauibus in Britanniam sunt aducti, & in loco, qui Cerdicesora nominatur, appellentes, eodem die cũ Britonibus dimicauerunt, illosq́; victos fugere compulerunt. Hic ego non sequor Florentium de solis quinque nauibus, quæ tot milites transportare non poterant, vt statim dimicarent, Britannosque in fugam conijcerent. Denique Consiliarij pro tam paucis non suasissent Arcturo soluere obsidionem. cùm olim Caius Iulius Cæsar in Britanniam, classem mille nauium secum adduxerit, vt lib. 4. Nota 20. probaui. idcirco sexcentas, quas Gaufridus numerat, amplector. Hanc autem Eboraci obsidionem durasse tres menses, Chamber in epitome historiarum, de Arcturo demonstrat.

8. *Pro victoribus agnoscerentur*. Idem Florentius anno 501. Auieno & Pompeio Consulibus, inquit, Porta, & duo filij eius Bius ac Megla cum duabus nauibus in Britanniam venerũt, in loco, qui dicitur, *Portesmutha*, & iuuenem

iuuenem quemdam Britonum nobilissimum cum alijs multis occiderunt. Anno 508. cùm Importunus esset vrbis Consul, Cerdicus, & filius eius Chenricus, Regem Britonum Natanleodũ (quem Chamber in vita Vtheri Pendraconis, Latinius Nathaliodum, & Regis tantummodo Locumtenentem appellat) & quinque millia virorum peremerunt. Cambdenus in Belgis, iuxta occidentalem limitem prouinciæ Hamtonensis, inquit, Auena fluuius placidè agit alueum, & vbi primum hunc agrum influit, Cerdici est vadum, nunc vulgo Chardford, à Cerdico bellicoso Saxone denominatum. Hîc enim Cerdicus ille collatis cum Britannis signis, anno 509. ita eos fregit, vt non solum imperij sui fines protenderit, sed etiam facile bellũ posteris tradiderit. Cùm antea scilicet anno 508. magna belli contentione Natanleodum regulum Britannicum cum magno numero Britannorum in hoc tractu superauisset, à cuius nomine regiumculam appellatam fuisse legimus. Intelligit credo, apud Florentium, qui scripsit hoc ipsum se legisse. Et anno Christi 514. ac Imperatoris Anastasij 23. Occidentales, inquit, Saxones in Britanniam cum tribus nauibus venientes in loco, qui Cerdicesora vocatur, appulerunt. eorum primates fuerunt Stuphus & VVitgarus, Cerdici nepotes. qui mox pugnam cum Britonibus ineuntes quosdã ex eis occiderũt, quosdam fugauerũt. & anno 519. Cerdicus & Chenricus regnare ceperunt, eodemq́ue anno cum Britonibus in Cerdicesforda pugnauerunt, & victores extiterunt. Sed anno 527. ijdem Principes quarta vice cum Britonibus prælium inierunt. & anno Christi 530. Iustiniani Cæsaris anno 4. cùm Lampadius & Orestes essent Consules, inquit, Cerdicus & Chenricus Vectam insulam ceperunt, & eam suis nepotibus Stupho & VVitgaro dederunt.

9. *Ventam Belgarum*. Idem Cambdenus ibidem, Qui Bristoliam, inquit, esse Ventam Belgarũ dixerunt, & sibi, & nobis fucum fecerunt. item ij, qui hanc Simenorum Ventam asserunt, quia nullos Simenos in Britannia fuisse, sed Icenos credo. Illa verò clarissima Britannicorum Belgarum ciuitas, Ptolomeo & Antonino

nino dicta *Venta Belgarum*; Britannis etiam nunc Caer Gvvent, vulgo Latinorum *VVintonia*, vt Lelandus existimat, à *Gvvin* siue *Gvven*, quod Britannicè *album* significat, appellatur. Ad huius vrbis partem Australem portæ Occiduæ castrum vetustum eminet, sæpius obsidione cinctum, sed tum grauissimè, cum Mathildis Augusta contra Stephanum Regem propugnaret. ac demum, rumore diuulgato, se diem obijsse, quasi mortua fuerat elata loculo, hostes eluderet. De mensa illa circulari, siue obiculari, quæ hîc ad parietem, altè muro in fine magnæ Aulæ, vbi prouinciæ Iudices pro tribunali sedent, appensa est, & quā vulgus hominum, tamquam Arthurianam mensam suspicit, nihil est, quod dicam, inquit Cambdenus, nisi eamdem esse recentioris ætatis. Superioribus enim sæculis, cum virtutis bellicæ exercendæ gratia, militares decursiones, quas vulgus *torneamenta* vocat, frequenter haberentur, huiusmodi mensis vsi erant, ne quod discrimen inter nobiles, pro superiore sedendi loco, ex ambitione nasceretur. & hoc sanè, vt videtur, instituto veteri. Gallos enim antiquos circularibus mensis circunsedisse, Armigerosq; eorū scuta ferentes, à tergo adstitisse, Athenæus lib. 4. Deipnosophistôn cōmemorat. ita Cambdenus de illa tabula rotunda, quam ego sæpe vidi, nec antiquitatis in ea tātam speciem animaduerti. Vtrum verò quod omnis fama refert, aliquam huiusmodi mensam equitum 12. instituerit Arcturus, quoniam de ea nihil scribit Gaufridus, qui tamen omnia scripsit, de Arcturo, fortasse potest dubitari. neque etiam libro 5. polychronicôn aliquis est author, qui mentionem eius faciat. neque Polydorus Vergilius, qui tamē ante paucos annos. inquit, Arthuro positū fuit in Glasconiensi cœnobio sepulchrum opere magnificum, vt posteri omnes intelligerent, illum fuisse dignum maximis ornamentis, tametsi flore iuuentutis perierit. Nihilo minus quoniam Lilius in principio Chronices, Vtherij principatum, inquit, Arthurus excepit, filius militaris disciplinæ, & orbicularis mēsæ fundator, Britannorum Regum apud posteros celebratissimus. cui successêre haud pari quidem felicitatis laude, Constantinus. Aurelius

relius Conanus, Maglocunus, Carentius, & Caduallo, qui aliquot annis quibus regnarunt, imminentem patriæ casum contra Saxones pugnando egrè sustentare conati sunt. & Ioannes Frossardus historicus Gallus affirmat, Regem Arthurū ædificasse castrum *VVindesore*, ibique fundasse ordinem Equitum rotundæ mensæ. idque Stoueus eum allegans probat. & in ordine publico Regum Britannorum, Arthurus dicitur stabiliuisse societatem Equitum rotundæ tabulæ: inter quos Constantinus, eius successor, fuisse vnus scribitur: Item tabella pēsilis in aula Reuerēdissimi Domini Matthæi Moullartij Episcopi Attrebatensis, continens Pontifices Maximos, Imperatores, Reges Frāciæ, & Britanniæ, dicit Modredum occisum manu Arcturi, & eum vulneratum manu Modredi; omnemq; equitatum vtrimque cecidisse: ac eos *de la battaille ronde* (vbi Ioannes Ithel meus amicus, qui curauit describi, legendum putat, *de la table ronde*) non euitasse mortem, nisi quinque solos, inter quos Artus, & duo eius equites; ac inter hos fortassis erat iste Constantinus: Equidem non ausim Chambro consentire, cùm ait: Virtutes bellicas Arcturi, vel suorum Equitum de mēsa Rotunda, vel in Francia, vel in regnis alijs, nō esse fide dignas. præsertim cū tot annorum spatio tam constans fama decurrens à maioribus ad nos vsque non potuerit ex nihilo nasci. quanquam enim poësis ornandi causa semper aliquid historiæ adijcit, non tamen illud est positum in mutando rem ipsam gestam, sed in apponendo circunstantiam, quam vocant, rei, vt geri potuerit, admirabiliorem. Sic Ranulphus in polychronicis: Gaufridus, inquit, miratur, cur Gildas, aut Beda in omnibus libris suis non loquantur de Arcturo: sed ego magis admiror, cur ipse Gaufridus tantopere laudet illum, de quo veteres, veracesque scriptores historiarum ferè nullam mentionem fecerint. At enim verum est, vnamquamque nationem solere, vnum de gente sua laudibus nimium extollere. sic olim Græci suum Alexandrum, sic Romani Octauianum suum, sic Angli suum Ricardum, sic Franci Carolum suum, sic & Britanni suum Arthurum laudauerunt. Quod contingit, vt ait Iosephus,

vel ad

vel ad ornamentum historiæ, vel ad oblectamentum lectoris, qui non illibenter propter ipsam naturam audit sanguinis proprij commendationem. Sic Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei, res gestas Atheniensium maiores esse scribit, fama narrantium eloquenter, ac eruditè cum encomio; quàm actorum veritate in prælio. Quocirca Cambdenus cùm inscriptionem epitaphij Arthuri, de quo orat. 3. Nota 11. dixi, ex prototypo in Glasconiensi monasterio, reperto descriptam produceret, Barbarum quiddam, inquit, & quasi Gothicum litteræ præ se ferunt, planè loquũtur eius ætatis barbariem, quæ tenebris adeo erat inuoluta, vt nemo fuerit, cuius scriptis Arcturi nomen celebraretur. Materies tamen procul dubio digna, viri doctissimi facultate & copia: qui tantum Principem celebrando, propriam etiam ingenij laudem consecutus fuisset. Fortissimus enim Britannici imperij propugnator, hoc solo nomine vel infelicissimus esse videtur, quòd suæ virtutis dignum præconem non inuenerit. sic de veterum taciturnitate Cambdenus. ego, cùm non esset vitiosus princeps Arcturus, illum euitasse credo Gildæ castigationem, & Bedam de eo nihil scripsisse, quod ipsius res gestæ non pertinerent ad Ecclesiasticam historiam Anglorum, vt Nota 1. demonstraui. nunc originem famæ de mensa orbiculari suspicor hanc esse, quòd in castro Vintoniæ, (non Vindesoræ, vt Frossardus putat) Arcturus elegerit sex de fidissimis equitibus suis, (inter quos & Constantinus ipsius cognatus erat) qui semper in rebus dubijs, aut bellorum periculis ei præstò adessent: item Hoëlius Rex Armoricorum Britonum elegerit alios sex de suis fortissimis, reique militaris peritissimis equitibus. ne verò inter hos exteros Britonas, & domestios Equites Britannos, qui principibus his ambobus communiter auxilia in magnis rerum necessitatibus adferrent, æmulatio, vt plerumque accidit, ex superiore sedēdi loco nasceretur, secuti sunt antiquissimā consuetudinem Celtarum, quā describit Athenæus, sedendi ad mensam rotūdam, cùm manducarent: sicut & in circulo doctores, olim sedēdo disputabant; quemadmodum oratione 1. Not. 3. dicebam.

16. *Pagum Badonis*. Gaufridus lib.7.c.2. Cùm Saxones in nemore Celidonis propè Lindocolinum inclusi, quo vescerentur, indigerent, ne subita fame perirent, ab Arcturo petierũt egressum eo pacto, vt relicto omni auro, & argento, cum solis nauibus in Germaniam ire sinerentur. promiserunt quoque se daturos ei tributum ex Germania, obsidesq; inde datos, ibi mãsuros. Tunc Arcturus quæsito consilio, petitioni eorum acquieuit. Illos piguit pactionis, dum redeundo domum æquora sulcarent, retortisq; velis in Britanniã redierunt: & Totonesium littus adierunt. Nacti tellurem, vsque ad Sabrinum mare depopulantur. colonos vulneribus letiferis adficiunt. Inde versus pagum Badonis adrepto itinere, vrbem obsident. Ibi Gaufridus pagum Badonis, vt statim postea, prouinciam Somerseti nominat. Nam Badudus rex Britannorum struxit vrbem, quæ Badus ab eo dicebatur, vt lib. 2. Nota 15, demonstro. Hæc à thermis, Ptolomæo aquæ calidæ, & Antonino aquæ Solis nominatur. sed Saxonibus (inquit Cambdenus) Caër Badon appellatur. Saxones autem circa annum 44. ab eorum aduentu in Britanniam, rupto fœdere, bellum iam restinctum inflammantes, hanc vrbem obsidione incinxerunt; sed cùm Arthurus bellicosus superuenisset, ipsi montem Badonicum occuparunt. vbi cùm ab vltima spe, animis diu dimicassent, magno numero conciderunt. Hic mons videtur ille ipse, qui nũc Baunesdoune vulgo dicitur & iuxta hanc vrbem impendet viculo Batheftone, suosque etiã num aggeres, & vallum ostendit. Nec longo pòst tempore, Saxones hanc vrbem ausi aggredi, Britannis diu reliquerunt, sic Cambdenus; à quo non dissentiens Gildas: Ambrosij Aureliani viri modesti soboles, inquit, nunc temporibus nostris magnopere auita bonitate degenerauit. fortassis Arcturum intelligit. quem Cambdenus ex Nennio mab vter, id est, filium horribilem vocari notat. quia fuit à pueritia crudelis. & artur, quod Britannicè significat, Vrsum horribilem, vel malleum ferreum, quo molæ leonum confringuntur. de quo Gulielmus etiam Malmesburiensis, Illud, inquit, quod clam planè omnibus est, libenter prędicarem, si verita-

tem ex-

tem exsculpere possem. intelligit autem nimium desiderium, quod habuit Arcturus belli gerendi. nam occidentalium Saxonum regem Edgarum postea laudans, Illum pacificum, inquit, qui semper paci consuluit, vel hoc nomine non possũ non meminisse, & epitaphium illo seculo non indignum subiungere:

Auctor opum, vindex scelerum, largitor honorum,
Sceptriger Edgarus regna superna petit.
Hic alter Salomon, legum pater, orbita pacis.
Quòd caruit bellis, claruit inde magis.
Templa Deo, templis monachos, monachis dedit agros:
Nequitiæ lapsum, iustitiæque locum.

Certè sacerdotes bella detestantur, neque solent multum laudare Principes, qui non cogitant ea, quæ sunt pacis. Idcirco Gildas pergens: Vires, inquit, capessunt victores, ad prælium rursus prouocantes: quibus victoria Domino annuente, cessit ex voto. & ex eo tempore nunc ciues, nunc hostes vincebant, vt in ista gente experiretur Dominus solito more præsentem Israëlem, vtrum diligat eum, an non: vsque ad annum obsessionis Badonici montis, nouissimaque fermè de furciferis Saxonibus non minimæ stragis. qui & meæ natiuitatis annus est, ait Gildas, non exprimens quotus esset à Christo nato. sed Polydorus Vergilius lib. 3. huius singularis pugnæ fuit annus, inquit, ab aduentu Anglorum 44. & salutis humanæ 492.

11. *Imago Sanctæ Mariæ.* Gaufridus ibidem: Arcturus lorica, inquit, tanto Rege digna indutus aurcam galeam simulachro draconis insculptã capiti imponit. humeris suis clypeum, in quo imago sanctæ Mariæ Dei genitricis impicta erat. eaque illum in memoriam ipsius sæpissimè reuocabat. ita Gaufridus exprimit verũ vsum imaginis, vt repræsentando beatã Virginẽ, nos in memoriam eiusdẽ reuocet. & addit epitheton Dei genitricis, propter hæresim Nestorij, & Eutychetis, qui tum negabat Christi carnem nostræ similẽ esse: sed eius corpus aiebat descendisse de cœlo, ac in virginis vtero tamquam solis radios penetrasse. adeo vt visum sit ex muliere generatum, quamuis verè generatum non sit. quod perniciosum in religione dogma condemna-

demnatur, & libri de eo scripti iubentur comburi l. 8. Cod. de hæreticis. & eius sectatores ex Imperio toto Romano expelluntur l. 6. Cod. de apostatis. quarum pœnarum summa est ratio, quòd idem Christus dominus exercituum, sit verus Deus, & verus homo. cuius imaginem in vexillo Rex Vortuner, ante Arcturū gubernans ferebat: vt lib. 7. Nota 21. & 25. demonstraui. Sic Philippus Bergomas libro 9. sub anno domini 469. Arcturum, inquit, Britannorum regem, per hoc tempus suscepisse regnum ferunt; virum sanè bellicosissimum, atq; fortissimum. qui lorica pulcherrima vtebatur, regi quidem tanto condigna, sed & in capite, aurea galea, in qua draco sepultus videbatur. clypeum aureum præ se ferri faciebat, in quo Dei genetricis imago depicta fuit: vt eam semper aduocatam suam, in memoriā pro omni re reducere posset. quem etiam virum optimum, & Christianissimum fuisse ferunt: & Ecclesiæ collabenti in Gallia, & Britannia plurimum subuenisse: nec non & Catholicam fidem mirum in modum ampliasse. vnde & regiones multas, Frāconiam videlicet, & Daciam: Guasconiam, & Germaniam, eam ob rem suo subiecit imperio; & tam multa etiam prælia commisit. quam ob rem quoque, rotundā mensam apud Corimbiam ciuitatē instituit. diceret credo, Cornubiā. quāquam ego, nec in Cornubia mensæ talis institutionem defendo, Nota 9. superius.

12. *Quadringentorum septuaginta.* Gaufridus adhuc, Quemcumque Arcturus Deum inuocando attingebat, ictu solo perimebat: nec requieuit ab impetu suo faciendo, donec quadringentos septuaginta viros solo gladio peremisset. Id quod videntes Britones densatis turmis sequuntur illum, & vndique stragem faciūt. illicò Colegrinus, & Badulphus frater eius ceciderunt, & multa millia aliorum. At Chenricus viso periculo sociorum, continuò in fugam versus est. Sed Sigebertus ad annū Domini 470. Cùm valida pugna vtrimq;, inquit, fieret, Arcturus impetu facto in hostes, occidit ex eis solo gladio 470. ceteros autem in fugam conuertit, principibus eorum prostratis. Ego verò memor Gildæ, qui superius No. 10. vocat eos furciferos, verbo

principibus non idoneo, dicatque eorum stragem non minimam esse factam, suspicor Arcturum virtute Dei, quem inuocabat, & precibus Matris Dei, cuius nomen proclamabat, solū occidisse 470, vt Sigebertus ait: principesque, quos ipse prostratos dicit, fuisse duos fratres, præcipuos belli duces. reliqua autem multa millia, de quibus Gaufridus loquitur, fuisse nongenta. non verò nongentos tantummodo viros, vt Gulielmus Nota 6. superius dixit. quippe si solus Arcturus occidit 470. procul dubio exercitus eius totus facilè occidisset nōgenta millia Saxonum, sic virtute diuina consternatorum.

13 *Ad insulam Thanaton.* Manuscriptus codex Gaufridi habet Thanetum: impressus Tanetum. Angli vocant Tenet, non absimiliter insulæ, quæ in mari Aegæo inter Mytilenem & Hellespontum, contra Troiam, propè Sigæum, vt docet Pomponius Mela lib. 2. viginti millibus passuum ab Ostris distat, & Tenedos appellatur. Sed de hac insula nostra Iulius Solinus c. 24. Athanatis insula abluitur, inquit, freto Gallico, à Britanniæ continente separata æstuario tenui, frumētarijs campis felix, & globa vberi, nec tantum sibi soli, verùm & alijs locis salubris. Nam cū ipsa nullo serpatur angue, asportata inde terra, quoquò gentium inuecta sit, angues necat. De qua virtute telluris hodiè mutata, Cambdenus in Cantio, Thanaton insulam (sic enim vocat, & rectè) tenui intercurrente alueo, à continente disterminat Sturus fluuius: qui duobus in syluestri regione, quam hodiè VValdem vocant (olim Andredam fuisse dictam Nota 2. demonstraui) disparatis fluuiolis coalescens, Ashfordam, & VVyum emporiola nota inuisit; & ab occasu, & Austro insulam facit. nam ab alijs partibus Oceano abluitur. Hanc Solinus Athanaton dixit, nec angue serpi, sed inde terram asportatam necare angues. quod iam falsum deprehenditur. proinde illa etymologia *apo tou Thanatou*, id est, à morte serpentium, planè labascit. hîc primam exscensionem fecerunt Saxones, hîc illis perfugium. Terra quidem tota est ex creta albicanti, octo milliarijs in longitudine extenditur, & quattuor in latitudine patet. ita Cambdenus. sed Beda lib. 1. c. 25. Tanetos, inquit, non modica est insula, magnitudinis

gnitudinis nimirum, iuxta consuetudinē æstimationis Anglorum familiarum sexcentarum. In hac applicuit seruus domini Augustinus,& socij eius,viri (vt fertur) fermè quadraginta. Et Humfredus,Rhutupiū,inquit, esse arbitror, quæ ab Anglis Repcestre propè Sanduicum non procul à Tanata insula,vocatur. nam illa insula Cābrobritannis,quasi Rhutupina dicitur. vnde littus Rhutupinum,de quo lib.4.No.14.demonstraui.

14. *Genoram*. Hanc Gaufridus lib.7. c.3.Guenaram in libris excusis, in manuscriptis Guenvvaram vocat. sed c. 5. & c.7.Gauhumaram.reginam appellat. quod non est nomen quidem barbarum,si meminerimus M. Terentium Varronem lib.4.de lingua Latina scribere, in his receptis ab vrbe,esse vocabula multa peregrina; vt Sagum. Renogalli,quid Gaunacūna eius sagum? & paulo antè: Alij, inquit, ab hoc curuo,curuum appellant,& sub iugo medio couum; quod cura extrema appellatur,vocant couum à cauo. iugum & iumentum, à iunctu. ex quibus verbis fortasse non malè quis intelligat couinum, veterem Britannorum currum fuisse dictum,quòd esset forma cauus,& non planus ad suprà standum, pugnandumque,sicut erat essedum. Cambdenus tamen in primis incolis Britanniæ,credit fuisse couinum idem,quod essedum Cæsar appellat. in quo subsisto. quia rhedam,ex Quintiliano propriam Gallorum probat: essedum ex Cicerone,constat proprium esse Britannorum,vt lib.4.Nota 18.declaro. couinum dicit ipse, vehiculi genus in vsu commune vtrique genti fuisse. Et Martialis lib.12.epigrammate 24. Ad couinum, quem Helianus sibi donauit,

O iucunda Couine solitudo,
Carrucha magis, inquit, *essedóque gratum,*
Facundi mihi munus Heliani.

Quibus verbis vt à carrucha, sic ab essedo differre couinum facit. His enim plus laudat couinum,propter solitudinem,quòd auriga non indigeret. nam ita Domitius Chalderinus ibidem,Couinus,inquit,est currus Britannicus, qui sine auriga pusillis equis trahebatur. Ad præsentem verò rem quod attinet, malui vxorem Arcturi *Guenoram*, cùm Chambro dicere,quàm crede-

 re illam,

re illam, ſicut ipſe ſcribit, in Scotia ſepultam eſſe. quia Ranulphus lib. 5. polychronicôn c. 6. dicit, Arcturi corpus, & vxoris etiam eius, Guenneræ corpus, tempore ſecundi Regis Anglorum Henrici, fuiſſe inter duas pyramides reperta, & inde tranſlata in templum monaſterij Glaſconienſis, circiter annum Domini milleſimum centeſimum, & octogeſimum. ad quod probandum adducit teſtem oculatum Gyraldum Cambrenſem diſtinctione 1. topographiæ c. 10. qui ſe Arcturi oſſa tetigiſſe manibus ſuis, omniaque vidiſſe affirmat. Hanc Geneuram ſcriptores Romandi vocant, ſed Britanni Genoram, ſicut Genorillam Leiri Regis filiam lib. 2. ſuperius.

15. Rex Gothiæ. Gaufridi liber manuſcriptus habet *Godlandiæ*, vt & Sigebertus anno 413. liber typis excuſus, *Gelandiæ*. ſed cũ inſulas, quas vocat Britanniæ collaterales, enumerat ſex, Hiberniam, Thulem, Godlandiam, Orcades, Noruegiam, & Daciam. mihi videtur ſecundum conſtitutionem locorum, eſſe Gothlandiam, quam intelligit, & Neubrigius Nota 1. ſuperius Gothiam nominat.

16. Flauij Pollionis. Erat tũc, inquit, Gaufridus, Galliarum prouincia Flolloni Romæ Tribuno commiſſa: qui eam ſub Leone Imperatore regebat. Sigebertus ſub anno 482. Arcturus, inquit, Rex Noruegiam & Daciam ſuæ ditioni ſubegit. deinde tranſijt ad Galliam. Porro hiſtoria illius dicit, hoc factum fuiſſe ſub Leone Imperatore, & quemdam Follonem tribunum Galliarum, cum Arcturo ſingulare certamen habuiſſe: victoque illo Follone, Pariſijs Curiam tenuiſſe, & poſt nouem annos in Britanniam redijſſe. ſic ille Follonem nominat Tribunum, & quòd à Leone Cæſare miſſus eſſet, vel non, hoc refert totum ad hiſtoriam Arcturi. Equidem puto errore ſcribentium, duas primas litteras prænominis Flauij, ſolitas per ſe pingi, fuiſſe confuſas cum ipſo nomine huius tribuni, non Romæ, vt Gaufridus; neque Galliarum, vt Sigebertus ait; ſed Tribuni militum, qui Flauius Pollio, ſicut hiſtoricus ille Flauius Vopiſcus appelletur. de quo tamen Pollione Ranulphus in Polychronicis nullam faciens mentio-

nem,

nem, Gaufridus, inquit, narrat, quòd Arcturus occiderit Lucium Hiberium, Procuratorem Imperij. Sed apud omnes historicos Romanos cōstat, neminem Lucium eo tempore fuisse Procuratorem Imperij, & quòd nullus Arcturus regnaret, imò neque natus fuerit tempore Leonis Imperatoris, verùm Iustiniani, qui post Leonē quintus numeratur. Iste rectè facit, dum vocat eumdem Procuratorem Hiberium, qui apud Gaufridum Tiberius appellatur; & idcirco negaturà quibusdam fuisse, quoniam hoc nomine, nisi Lucius Tiberius Cæsar, nemo cognoscitur. Sic enim Amandus Zirixæus, mortuo Vthero patre, inquit, anno 13. Leonis Imperatoris, incipit regnare Arcturus eius filius, & regnat vsque ad annum Domini 542. secundum historiam Britannorum. Quæ si vera sunt, regnasse videtur annis 80. maximè dubium est de illo Lucio Tiberio Romanorum Imperatore, quem legitur occidisse, occisumque Senatui misisse pro tributo. nisi hæc intelligantur de Tiberio Secundo, sed anni non concordant. Nec Leo aliquis Romanis imperauit cum eo, neque post eum. sic iste vitiosè legit Imperatorem, pro Procuratore, & Tiberium, pro Hibero. & propterea Stoueus quoque putat, hanc rem cum reliquis Romanorum historijs non conuenire; licet ipse Lucium, nominet Hybertum. Idem scribit Sigebertus ad annum 542. Arcturum duxisse maximum exercitum in fines Burgundiæ, aduersus Lucium principem Hispaniarum, sub Leone Imperatore, Reipublicę procuratorem: & in eundo quemdam immensum gygantem, singulari pugna deuicisse. Inde legiones vtrarumq; partium in pago Lingonensi, ad prælium conuenisse. postea cùm Alpium iuga transcendere, & Romam inuadere voluerit; audiens Modredum nepótem, diadema Britanniæ corripuisse per tyrannidem, Arcturus in Britanniam, inquit, redibat. & in vltimo prælio, quod cum illo habuit, post neces ferè omnium belli ducum, ipse lethaliter vulneratus, in quandam insulam deportatus ad sanandum, relicto regni successore cognato suo Constantino, moritur. Iste videtur Lucium intelligere, natione Hjberum, atque Hispanum fuisse. veruntamen ego puto

 illum

illum nomine, non natione Hiberum. ſicut Proculus. Quidam Hiberus nomine, inquit lib. 8. dig. tit. 2. l. 13. nam A. Hircius de bello Hiſpaniēſi, vocat ita Cæcilium Nigrum, nomine Barbarum. & Rioches lib. 2. compendij temporum, idem quod Sigebertus, ſed amplius, & conſtantius ſcribens, Arcturus, inquit, triumphator, Iſlandiam, Hiberniam, Orcades, Scotiam. Noruegiam, & Daciam ſibi dicitur ſubiugaſſe, circiter tempora Simplicij Papæ, & Leonis primi Imperatoris 490. & Gallias conquiſiuiſſe Flolone Tribuno Romano, ab eo, miro duello, occiſo, Dei genitricis ope, in illo loco, vbi nunc Eccleſia Cathedralis Pariſienſis eſt. Ob quod beneficium, illic in honorem eius, Eccleſiam Arcturus conſtruxit. Acerrimum quoque prælium contra Romanos, ac Lucium eorum procuratorem habuit, quos occiſo Lucio tandem vicit; eiuſque corpus ſtatim Romam loco tributi tranſmittit. Interim Modredus eius nepos, & Locumtenens in Regno, diadema ſibi proditione ſumpſit, & multis prælijs cum Arcturo commiſſis, tandem occiditur cum ſuis, & Arcturus lethaliter vulneratur. Quare Conſtantino cognato ſuo, & Cadoris Cornubiæ Ducis filio, diadema conceſſit circa annum Chriſti 542. Ita Brito continentis Rioches, Leonem, putat fuiſſe primum. Sed Genebrardus Simplicium Pōtificem Romanum Leone Iuniore, & eo mortuo, Zenone Iſauro Cæſaribus, in vrbe ſediſſe ſcribit, annoque Chriſti ſecundum Haloandrum 476. iſte Leo ſolus Auguſtus, & Conſul fuit. quo tempore committi potuit adminiſtratio Pollioni, tametſi diu poſtea inter eum, & Arcturum ſingularis pugna contigiſſet.

17. *Suamque curiam*. Huc fortaſſe primus Mansfeldiæ Comes ex Germania venit. & quoniam Hoëlus ex prælijs ſupradictis potuit aliquos equites de ſex illis ſelectiſſimis, quos Nota 9. demonſtrauimus, amiſiſſe, ipſe princeps familiæ Mansfeldiæ, cùm Arcturo menſam rotundam celebraſſe fertur; eumque ſecutus in Britanniam, vt olim Rex Alamanorum Erocus Conſtantium, Magni Conſtātini patrem, quemadmodum lib. 6. Nota 1. demonſtraui, nomen opido Mansfeldo dediſſe potuit, ſicut nonnulli ſuſpicantur; quoniam, vt ait

vt ait Cambdenus in Coritanis, adhuc copioso rerum omnium foro prælucet illud oppidum.

18. Ducentorum Philosophorum. Gaufridus lib.7.c.4. manuscriptus, Ex alia, inquit, parte ciuitas pratis & nemoribus vallata, palatijs Regalibus præpollebat, ita vt aureis tectorum fastigijs Romam imitaretur. typis excusus: à cuius, inquit, legionibus ibidem hibernantibus, vrbs Legionum dicitur, tum manuscriptus: duabus, inquit, ecclesijs eminebat, quarum vna in honorem Iulij martyris erecta, virgineo puellarum Deo dicatarū, choro perpulchrè ornabatur, altera quidem in beati Aaronis, eiusdem socij, nomine fundata, canonicorum conuentu subnixa, (iterum excusus addit:) tertiam metropolitanam sedem Britanniæ habebat. Præterea Gymnasium ducentorum philosophorū habebat, (deniq; manuscriptus:) qui Astronomia, inquit, ceterisque artibus eruditi, cursus stellarum diligenter obseruabant, & prodigiorum eo tempore signa, Regi ventura, Arcturo veris argumentis prædicebant. hæc varietas lectionis impressæ, manuque scriptæ, fundamenta continet duarum quæstionum difficillimarum, de sedibus episcoporum metropoliticis, & de gymnasijs philosophorum Academicis, quæ sedibus illis subseruiunt. Itaque cùm liber ille manuscriptus, quo vtor, monasterij sit Marchianensis, & alter excusus, typis sit Iudoci Badij; sed correctus ab Iuone Cauellato ad exemplum in bibliotheca Collegij Corisopitensis inuentum; & ad alterum in bibliotheca Sancti Victoris Parisiēsis, codicem vetustissimis quidem characteribus scriptum; & ad tertium, quem Abbas eiusdem Cœnobij fecerat pro se describi, magnoq; cultu obseruabat, sicut idem Iurisconsultus eruditissimus in præfatione ad Herueum demonstrat: non oportet de his additionibus in excuso typis libro dubitare, præsertim cùm consentiant reliquis historicis, de gymnasio tot Philosophorum scribentibus. qui videntur descendisse ab illis quattuor philosophis, quos ab Athenis secum in Britāniam duxisse, regem Badudum, non longè distantis ab hac, vrbis Badonis auctorem, retulimus lib.1. No.15. Eps Dubritius huc transtulit,

Gymnasiumque suum (vt ait Caius lib. 1. de antiquitate Cātabrigiensis Academiæ) loco, & syluis, & aquis, quibus musæ gaudent, accommodato posuit. Quod Gymnasium Legionense, accepit magnū augmentum, post cladem ab hæreticis Pelagianis, Cantabrigiensi Academiæ illatam; cum multi præclari viri Cantabrigienses, Lupo Trecassenensi, & Germano Altissiodorensi, episcopis Gallis adiuncti, hîc se firmarunt, & sacras litteras, iuxtaque liberales artes docuerunt. Ob quam causam haud scio, inquit, Caius, an hæc sit, & dicatur illa Cantabrigia, quam historia Rossensis, ad Sabrinam, esse positam refert. Per Sabrinam enim, Vscam intelligit, eo quòd notior sit, Sabrina, quàm fluuius Vsca, qui se in Sabrinam recipit. Huic Academiæ, magnus ille Rex Arcturus Diploma concessit sub forma verborum, quam Caius sic recitat: Arcturus Regali dignitate fultus à Deo, suis omnibus Salutem. Quia Deus Omnipotens per misericordiam suæ clementiæ, absque vllo antecedente merito meo, sceptra Regni largitus est mihi, libenter ex eo, quod dedit, retribuo. Idcirco gratia eius eruditus, pro amore cœlestis patriæ, proque remedio animarum meorum antecessorum, Britanniæ Regum, insuper pro augmentatione Reipublicæ Regni mei Britanniæ, ac profectu spirituali Scholarium, in lege Domini, iugiter Cantabrigiæ studentium, consilio & assensu omnium & singulorum Pontificum, & Principum istius Regni, & licentia Sedis Apostolicæ, statuo præsenti scripto, & firmiter decerno, vt ciuitas Scholarium prædicta (vbi hactenus splendorem scientiæ, & lumen doctrinæ, gratia fauente conditoris, mei prædecessores acceperunt) à publicis vectigalibus, & operibus onerosis absoluatur, vt quietudine Doctores inibi, & scholares, valeant doctrinæ studio inhærere; sicut gloriosus Britanniæ Rex Lucius decreuit, Christianitatem amplectens prædicatione doctorum Cantabrigiæ. Quamobrem sint Scholares, atque Doctores ibi manentes, in tranquillitate perpetua tuti, priuilegijsque muniti Regalibus, cum suis rebus, & familiaribus; sint immunes ab omnibus sæcularibus seruitutibus, necnon à Regalibus

tributis maioribus, seu minoribus. Datum anno ab incarnatione Domini 531. die 7. Aprilis in ciuitate Londonia. Huius Diplomatis authoritatem, inquit, Caius, si quis eleuare studet, quod Polydorus Anglicæ historiæ lib. 3. vana esse, quæ de Arcturo scribantur, affirmet, is non videtur mihi vetustatis monumenta diligenter euoluisse, sed de rebus eius planè somniasse; cùm de gestis Arthuri, de regno, de castris, de regijs, de conuiuijs, de legibus, de Academijs, de vita, de morte, de sepultura, sint omnia plena; adeo vt hic Ioanni Lelando de assertione Arthuri magis accederem, inquit Caius, si mihi nullum de vetustate iudicium esset, quam Polydoro Vergilio, qui vt in alijs, sic & in hac re, licenter errat. Equidem hoc Legionense Gymnasiū, postea dictum Cantabrigiæ propè Sabrinum, diuturnitate temporis, non quidem ab initio. vt Stoueus lib 2. Nota 15, relatus, affirmat; suspicor translatum fuisse ad oppidum Stamphordiam, non longè distans à Northamtona; & inde originem contentionis inter Oxoniensem, & Cātabrigiensem Academiam, de prærogatiuis, natam esse. Quò cùm hæresis etiam Pelagij, tanquam cancer irrepsisset, multique ab Oxoniensi Academia, nouitatis causa venissent; Robertus Stratefordus tunc Academiæ, postea totius Regni Cancellarius, cum vniuerso cætu magistrorum, orarunt Eduardum Tertium à Normanis, Regem Anglorum, vt dignaretur ad Benedictum 12. Romanum Pontificem scribere, inter cetera, quæ vniuersitas tum à Sede Apostolica petebat, vt nociuum, & pestiferum concursum scholarium, prætextu disciplinæ ad oppidum Stamfordiæ, per omnem modum prohiberet, quòd ea res esset tam in dispendium studij, quàm in totius regni seminarium generale discordiarum. Hinc fortassis introductum fuit iusiurandum, ne quis Oxoniensis publicè Stamfordiæ prælegeret. Quod quāquam Cambdenus in Coritanis, tribuat litibus inter Boreales, & Australes studiosos, Oxoniæ cōmorantes; tamen quia concursus ille in supplicibus litteris ad Benedictum Pontificem, nociuus, & pestifer appellatur; probabilius videtur id, quod Robertus Pelus mihi amicus, de

Pelagianis Stamphordiæ conuersantibus, legentibusq; dixit. nam Oxonij postea, cùm oriretur hæresis illa, Ioannis Vviclephi, ne fieret rursum secessio studiosorum, inuenta fuit alia ratio, videlicet examinandi per Doctores Theologos, etiam conciones Latinas, prius, quàm de suggestu pronunciarentur: idque propter euitandam VViclephi doctrinam, vt idem Caius lib. 2. demonstrat.

19. Rex Ruthenorum. Marlianus in Indice, Rutheni sunt, inquit, populi prouinciales, non lõgè ab Aruernis, & Santonibus, à Narbone, ac Tolosa, extra Celtas, Belgas, & Aquitanos. Eorum ciuitas est episcopalis, nomen Latinè retinens, in prouincia Bituricensi sita, vulgo Rhodes dicti. Sed Iacobus Cruquius Messenius in epistola Cõmentariorum suorum ad Q. Horatium Flaccum poëtam, dedicatoria Senatui Brugano, Inferiores excubiæ sunt, inquit, quæ in ditione Neruiorum strenuè agebantur, aduersus Hibernos, Scotos, Britannos, Danos, aliosque maritimos hostes. quod nec diffitentur vulgati Chronographi, nec certè à vero dissidet. Sed & Merouæi Francorum regis tempore, dicitur Arcturus Britanniæ princeps, Rutheniam incurrisse, eamque deprædatus esse, quæ haud dubiè tunc in æstuarijs maris, erat tractus Brugensis, à Pleumosijs, Leuacisque Aduaticos vsque. ijdem namque Cæsari fuêre Ruteni, Gruteni, & Grudij ex eodẽ etymo, priscis dicti Retani, à retando, id est, fossis, canalibusque fodiendis, purgandisque, de quo A. Gellius lib. 11. c. 17. ita Cruquius; cui consentit Gaufridus de situ loci Ruthenorum; dum lib. 1. c. 22. Interea contigit, vt in Romanis historijs reperio, inquit, Iulium Cæsarem subiugata Gallia ad littus Ruthenorum venisse. & cùm illinc Britanniæ situm aspexisset, dum ad Oceanum intueretur, quæsiuisse à viris circum se adstantibus, quænam illa esset patria, & quæ gens eamdem inhabitasset? sic Gaufridus prospectum Britannici situs, ex Cæsaris aspectu in Oceanum, probabiliter narrat, vt lib. 1. Not. 9. declaraui, qui à Ruthenis in prouincia Bituricensi populis, nimium longè distantibus, colligi non potuit. Verumenimuerò cum nec ab his Ruthenis, Belgis

mercato-

mercatoribus, ad se vndique conuocatis Iulius Cæsar Insulam aditurus, satis intelligeret, quanta esset Britanniæ magnitudo, neque quæ nationes, aut quātæ ipsam incolerent, neque quem vsum belli haberent, aut quibus institutis vterentur, neque qui essent ad maiorum nauium multitudinem idonei portus, Caium Volusenum cum naui longa præmittit, vt lib. 4. demonstro. Post cuius abitum ipse Cæsar cum omnibus copijs in Morinos proficiscitur, vt lib. 4. de bello Gallico narrat. Sunt aūt Morini nō longè distātes populi ab hoc littore Ruthenorū, vt lib. 1 No. 10 declaraui. Et Gaufridus lib. 7. c. 6. in hoc cōsentiens, Holdinus, inquit, dux Ruthenorū ad Flādrias delatus, in Teruuana ciuitate sua sepelitur. quæ est Morinorum, vt lib. 1. N. 10. declaro.

20. Aureos gladios quattuor. Idem Gaufridus lib. 7. c. 4. dicit hos 4. gladios fuisse aureos, credo ad magnificētiam triumphi. sicut lib. 6. c. 2. dixit, Pendraconē per inter nuntios familiares, aurea pocula misisse Igernæ vxori Gareli, ducis Cornubiæ, cùm eius amore caperetur. Alioqui cùm hæc portatio gladij ante Principem, significet executionē iustitię, contra malum facientes, eo, quòd merum imperium definiatur ab Vlpiano l. 1. de iurisdictione, habere gladij potestatem, ad animaduertendum in facinorosos homines: frustrà ferretur gladius eius metalli, vt est aurum, quo nihil Princeps exscinderet. nisi fortè ad illum monendum mansuetudinis, vt eo gladio quàm parcissimè, aut ferè numquam vtatur.

21. Dauid Deuius. Gaufridus lib. 7. c. 5. Beatus Dubritius, inquit, ad heremiticam vitam anhelans sese ab Archiepiscopatu abdicauit, in cuius locum consecratur Dauid auunculus Regis, homo totius bonitatis exemplum. Quod vix procedit, si Ranulphus lib. 5. polychronicôn c. 6, verum scribit. Anno nimirum 529. quo Cerdicus Rex primus Occiduorum Saxonum, moriebatur, cùm annos 17. regnauisset, natum fuisse Sanctum Dauidem, qui etiam vocatus est Deuius. ille fuit episcopus Meneuiæ, quæ nunc ab eo, vrbs Sancti Dauidis appellatur; vt ego quoque lib. 1. Nota 3. declaro. nam Cerdicus ille dicitur à Florentio decessisse ex hac

vita anno Domini 534. & filius eius Chenricus post illum, regnauisse annos 26. nisi valdè iuuenis ex fauore principis ad episcopatum eligeretur. vel est error in supputatione annorum de die natali eius. certè dici potest, cognomen ipsius esse, Deuium, & quòd Dubritius Archiepiscopus translata sede, huic Dauidi cesserit honorem, lib. 3. Nota 13. demonstraui. Humfredus tamen videtur sentire aliter cum, Sub pedibus, inquit, Deuui (quem Latini Dauidem vocant) dum in Pelagianos inueheretur, terram mugisse, seque in collem crexisse ferunt. Sanè quidē in promontorio, quod Octopitarum dicitur, Episcopalis sedes Meneuēsis est, olim Archiepali pallio celebris. Nam Deuius, qui Dauid dicitur, sedem Archiepiscopalem ex ciuitate Legionum, vbi antiquitus fuit, in Meneuiam transtulit, post quem sedêrunt 25. Archiepiscopi, quorum nomina apud Gyraldum habentur. Eorum vltimus Samson, ingruente peste, Armoricam cum pallio aufugit, & in Dolensem Episcopum electus, ibidem pallium reliquit; quo successores gauisi sunt, in hæc vsque tempora, inquit Gyraldus, quibus Archiepiscopus Turonensis præualuit. de qua controuersia Nota 3. dicebam superius.

22. *Ab Oriente.* Gaufridus ibidem, Lucius, inquit, Hiberius accepto responso Arcturi, Senatus authoritate Regibus Orientis indixit, vt exercitu parato secum ad Britāniam subiugandam venirent. deinde laboriosè nominat, qui Reges venerint. quo errore abductus est, vt paria ex Oriente auxilia daret Arcturo. & hoc vehementer Neubrigium vexauit. Consequenter, inquit, profusiore mentiendi licentia, facit aduersus Arcturum conuenire cum Romanis, Reges magnos orbis terrarum, scilicet Græciæ, Africæ, Hispaniæ, Parthorum, Medorum, Itureorum, Libyæ, Aegypti, Babylonis, Bithyniæ, Phrygiæ, Syriæ, Beotiæ, Cretæ, omnesque refert vno prælio deuictos ab illo; cùm Alexander Magnus, & omnibus seculis clarus, per annos duodecim, quibusdam tantorum regnorum principibus superandis sudauerit. profectò minimum digitum sui Arcturi, grossiorem facit dorso

Alexan-

Alexandri Magni. sic Neubrigius, qui nimium aggrauat quoque Gaufridum, si verba vtriusque benè conferantur. Equidem suspicor ex Oriente legiones dumtaxat Hiberio in subsidium venisse; Arcturo milites nullos; vtpote qui post infortunium sub Anthemio Imperatore toleratum, principibus Orientis fuerat infestior. Quamquam Cambdenus in Britannis Armoricanis putet illum Riothimum de quo loquitur Iornandes, fuisse Regem Britannorum continentis, quos in eam potentiam statim, ac venerunt ex insula, & ibi per Maximum relinquebantur, excreuisse credit, vt Gothis, quò minus Galliam totam occuparent, obstaculo fuerint. In quo subsisto. nam spatio centum, & quindecim annorum, qui à morte Maximi, ad annum 503. quo Iornandes Episcopus sua chronica scripsit, vt Ranulphus lib. 4. polychronicôn c. 4. declarat; intercesserunt, vix potuit tantum incrementum fieri sine vxoribus, quas accipere Gallas, Conanus Britannos pati noluit, & omnes quæ cum Regina Vrsula exiuerunt nubendi gratia, partim tempestate maris, partim Barbarorum manibus occisæ, ad Britanniam Armoricam non venerunt, vt lib. 6. demonstraui. Et cùm Iornandes Riothimum 12. millia secum abduxisse scribat, Aldroënus verò Rex Britonum Armoricorum, Constantino tertio Regi, ad insulam proficiscenti, fratri suo circiter annum 415. non potuisset, nisi bis mille concedere, vt lib. 7. Nota 6. declaro, difficile est, tantam Armoricorum potentiam eo tempore fuisse, probare.

23. *Legione sex millia.* Gaufridus lib. 7. c. 6. Ipse sibi, elegit Arcturus quoque post hos, inquit, locum quemdam, ac legioni, quam adesse volebat. quo in loco aureum draconem, quem pro vexillo habebat, adfixit. ad quem vulnerati, fatigatique pugnando, si necessitas compulisset, quasi ad castra se recepissent. Erant autem in ea legione, quam secum Rex habebat, benè instructorum militum sex millia, sexcenti, & sexaginta sex. neque distinguit milites, pedites, ab equitibus. quocirca, ne Romani viderentur nihil opis attulisse Britannis, cùm vnam legionem Victorino duce misissent; item alio tempore aliam, duce Vitello; denique aliam

Romano-

Romanorum militum legionem, Gallione Rauennate duce; vt lib. 7. demonstrauimus, operæprecium erit hoc loco, & semel explicare, quæ vis esset vnius legionis armatæ. Quoniam (vt ait Sigonius lib. 1. de antiquo iure ciuium Romanorum c. 15.) ius militiæ nihil est aliud, quàm ius legionis. in hac enim legione, soli ciues Romani, in auxilijs, Latini socij meruerunt. Igitur vniuersus Romanus exercitus fuit in duas partes distributus, legiones, & turmas. Legio fuit, certa peditum manus, Varrone & Plutarcho auctoribus, à delectu fortissimorum militum appellata. Ea verò iam inde à Romulo instituta est trium millium. ex singulis enim tribubus mille conscripti sunt pedites. vnde tribuni, qui singula millia ducerent, nominati. Vt autem tres illę peditum legiones; sic idem tres turmas equitum scripsit. quas etiam tres centurias appellauit, vt singulis legionibus, singulæ equitum centuriæ adderentur. Quoniam autem acceptis in ciuitatum Sabinis, legionem à Romulo auctam fuisse, scribit cū Dionysio Plutarchus, propterea eamdem etiam à Rumulo ad quattuor millia redactā existimauerim, inquit Sigonius. quæ legio inde à Festo, Quadrata nominatur. Neque enim Plutarcho affirmanti legionem geminatam, & sex millium factam esse à Romulo, assentior. variatam tamen pro vsu Reipublicæ, & Senatus arbitrio legionem fuisse, vt modò quatuor, modò quinque, modò sex millium scriberetur, Liuio potissimum testi credo. cuius ad eam rem testimonia pòst recitat; atque concludens: Inde legio, inquit, sex millium fuisse à multis traditur, quòd hic maximus eius numerus, stante Republica, fuerit. ita Sigonius. Ergo suspicor hanc legionem, quæ fuit Arcturi, & sexcentos sexaginta sex amplius habebat, fuisse Britannicam legionem, sicut de Macedonica legione scribēs Sigonius, Id præcipuè, inquit, prouinciæ Macedonię datum, quòd cùm alterius Consulis legionibus quina millia, & ducenti equites ex vetere instituto darentur in singulas legiones, in Macedonia sena millia peditum scribi iussa, equites treceni in singulas legiones.

24. *Ad Lengrias*. Gaufridus ibidem libro manuscripto,

ſcripto, Hiberius, inquit, aditurus Auguſtodunum *Lengrias* cum exercitibus ſuis ingreditur. quem locum pagũ *Lingonẽſem* Sigebertus No. 16. nominat ſuperius. Lingones autem inter Celtas eſſe populos finitimos Heduis, quorum metropolis eſt Auguſtodunum, & ab indigenis vocari *Langres*, Marlianus in ſuo ad Cæſarem indice. declarat.

25. *Albaniæ regem.* Gaufridus lib. 7. c. 7. Erãt numero quaſi octoginta circiter milla tam paganorum, quàm Chriſtianorum, inquit, quorum auxilio fretus Modredus, Arcturo in Rutupi portu adplicanti obuiam venire audet, cõmiſſoq́; prælio magnam ſtragem eis adplicantibus dedit. Augeſelus enim Rex Albaniæ, & Galganus nepos Regis, cum innumerabilibus alijs in die illa ceciderunt. Augeſeloque in Regnum, Euenus Vriani fratris ſui filius ſucceſſit. Idem eodem libro 7. c. 3. dixit Arcturum victorem, Augeſelo reſtituiſſe Regiam poteſtatem Scotorum; fratremque eius Vrianũ ſceptro Murenſium inſigniuiſſe. quibus verbis. Albaniam facit eamdem, quæ Scotia eſt: vt & ipſe lib. 2. Nota 8. & lib. 6. Nota 25. demonſtro, & communiter promiſcuè vtũtur. ſed quia nec Augeſeli, nec Eueni, neq; Staterij, quem in fine lib. 2. Albaniæ regem demonſtrauimus, neque Cridiori mentionem inuenio, apud ſcriptores Scotos, quem tamen Albaniæ Regem ex Gaufrido diximus lib. 4. Nota 12. Idcirco rem preſſius conſiderando, repperi differentiam aliquam inter Scotiam, & Albaniam fuiſſe antiquitus, & huic Augeſelo reſtitutam ab Arcturo dixi Regiam poteſtatem Attacottorum. quos diuerſos à Scotis eſſe lib. 6. declaro. Et Marcellinus lib. 26. Hoc tempore, inquit, anno ſcilicet 364. Picti, Saxones, & Scoti, & Attacotti Britannos ærumnis continuis vexauêre. & poſtea lib. 27. Eo tempore Picti in duas gẽtes diuiſi, Deucalidonas & Vecturiones, itidemque Attacotti bellicoſa hominum natio, & Scoti, per diuerſa vagantes, multa populabãtur. Ex his apparet, inquit, Humfredus Attacottos fuiſſe Albaniæ incolas, & originis Scoticæ. Veriſimile igitur eſt paululum ante hæc tempora Scotos & Attacottos (qui poſtea in Scotorũ nomen abiêre) ex Hibernia,

& He-

& Hebridibus; Picthos verò ex Orcadibus, vbi antea delitescebant, in Albaniam icto fœdere venisse; & Romanos, Britannosque bello petiuisse, & nunc victores, nunc victos è prælio decessisse. Nam paulo pòst Ammianus refert, has gentes à Theodosio Valentiniani duce strenuo victas, & ex prouincia Romana fugatas quieuisse. sic Humfredus, regionem quæ nunc Landonia, inquit, & Merchia, olim Bernicia, & à Picthis, Picthlandia dicta est, Dio scribit Mæatas habitare vltra murum, vsque ad Caledonios. cui cõsentit Ziphilinus, qui hos Albanos significat, olim fuisse Mæatas, qui iuxta murum, qui diuidit insulam in duas partes, incolunt. Caledonios verò populos esse, post illos, versus Septemtriones, vt lib. 5. Nota 11. declaro. Secundum quæ procedit, Carausium Picthis locum ampliorem in Albania constituisse, vbi mixti cum Britonibus postea manserũt, ipsosque Albanos, ex genere Britonum censeri; vt eodem lib. 5. & Nota 29. dicitur. Hos in tabula nuper edita, de moribus, & habitu veterũ Picthorum, animaduerti vocatos esse, vicinos Picthorum; deque eis separata demõstratio editur: quod à Chambro non multum dissentit, qui Lothum Regem Pictorum appellat. nam hi tres ab Arcturo honoribus restituti, habitatione sibi, vicini erant.

26. In sacrosanctis Dei Ecclesijs. Gaufridus lib. 8. c. 1. Saxones, duoque filij Modredi, inquit, Rege Constantino sumpserunt arma, neque potuerunt præualere. sed post diuersa prælia vnus Londonias, alter Vintoniam fugit. quo tempore Sanctus Daniel Bangornensis Ecclesiæ religiosissimus antistes, defunctus est: & Theonus Gloucestriensis Ecclesiæ episcopus ad Archiepiscopatum erigitur. Hoc etiam tempore sanctissimus vrbis Legionum Archiepiscopus Dauid obijt in Meneuia ciuitate, in Abbatia sua, quam præ cæteris suæ Diœcesis monasterijs dilexerat: quia beatus Patritius, qui natiuitatem eius prædixerat, illam fundauerat. iubenteque Malgone Rege Venedotorum in eadem Ecclesia sepelitur. Constantinus autem, Modredi filios, & Saxones persequens, alterum Vintoniæ in Ecclesia Sancti Amphibali, ante altare trucidauit: aliũ verò Londonijs
in quo-

in quorumdam religioſorum cœnobio abſconditum, tandemque ad altare prorumpẽtem, morte affecit. tertio pòſt anno interfectus ipſe à Conano, ſepelitur iuxta Vtherũ Pendraconem. Gildas immundæ leænæ Damnoniæ tyrannicum catulum, vocat Conſtantinum. qui hoc anno poſt horribile iuramenti ſacramentũ, inquit, quo ſe deuinxit, nequaquam dolos ciuibus facturum, in duarum Eccleſiarum venerandis ſinibus, & ſub ſancto Abbate Amphibalo, tenerrima latera Regiorum puerorum, duorumque nutritorum præcordia crudeliter, ante ipſa ſacroſancta altaria, nefando enſe, haſtaque lacerauit.

27. *Per annos tres.* Gaufridus niſi duos computans, Conſtantino ſucceſſit, inquit, Aurelius Conanus miræ probitatis adoleſcens. ipſiusque nepos. qui monarchiam totius inſulæ tenens, diademate exiſtimabatur dignus. niſi fuiſſet ciuilis belli amator. Nam auũculum ſuum, qui poſt Conſtantinum regnare debuit, ipſe perturbauit, atque in carcerem poſuit: eiuſq; filijs duobus peremptis regnum obtinuit, ſecundoque regni ſui anno defunctus eſt. Sed clarius, Chamber, Conanũ dicit exiſtimatum fuiſſe nepotem Conſtantini, eiuſdemque, vt auunculi ſui, duos filios occidiſſe, mortúumq; anno Regni ſui tertio. idem de tribus annis refert ordo publicus Regum Britannorum. ſed quis fuerit ille alius auunculus non exprimit, neque Stoueus, neque Gildas, aliquem auunculum alium carcere incluſum, occiſumque narrat: licet Aurelium Conanum vocet Catulum Leoninum, parricidiorum, fornicationum, adulteriorúmque cœno volutantem.

28. *Laqueo ſuſpendit.* Gaufridus, Conano, inquit, ſuccedit Vortiporius, in quem Saxones ſurrexerunt, & conciues ſuos ex Germania nauigio maximo conduxerunt. ſed & ipſe cum eis prælium iniuit, ſuperatiſq; eiſdem, monarchiam totius inſulæ adeptus, populum magna cum diligentia, paceque gubernauit quattuor annis, vt in libro manuſcripto habetur. Gildas exclamans, Quid tu, inquit, pardo ſimilis, homo moribus, & nequitijs diſcolor, caneſcente iam capite, in throno dolis pleno, diuerſiſq; parricidijs, & adulterijs conſtu-

prato, boni regis nequam fili, Demetarũ tyrãne Vortipori, stupide riges? quid vxore propria tua amota, eiusdemq; honesta morte secuta, miseram animã quodam ineluctabili põdere impudentis filiæ oneras? nõ loquitur tamen de ipsius Vortiporis genere mortis. Sed Sigebertus anno 549. Narses Patricius, Sindual regẽ Britonũ ex amico sibi rebellem, victum bello, & captum suspendit. Sed de hoc rege, inquit, historia Britonum nihil refert. nisi fortè eadem sit persona. & diuerso nomine nuncupetur; & ibi taceat, quod hîc habetur. quippe post Constantinum qui Arcturo successit, regnasse dicitur Aurelius Conanus, & post eum Vvortiporius. In qua re Sigeberto assentior, vt eadem persona sit Vortiporis, qui cognomento Sinduallus appelletur. quem more vetusto libenter nomino Vortiporem; sicut Eliota, Quinctipor, inquit, Quinctiporis, est Quincti puer, siue famulus.

29. Sex insulas. Gaufridus, Vortipori Malgon, inquit; succedit, omnium ferè hominum Britanniæ pulcherrimus, multorumque tyrannorum depulsor, vir armis robustus, ceteris liberalior, moribus ac vita præclarus, nisi peste Sodomitica volutatus, Deo se inuisum exhibuisset. præter insulã Britanniæ totam, quam imperio suo continebat, sex comprouinciales insulas Oceani, Hiberniam, Islãdiam, Gothiam, Orcades, Noruegiam, & Daciam prælijs dirissimis conquisiuit. Hunc Gildas Maglocunum appellans, Quid, inquit, tu etiam insularis Draco, multorum tyrannorum depulsor, tam regno, quàm vita, nouissime Rex in stylo nostro, sed prime in malo; maior multis potentia, simulque malicia, largior in dando, profusior in peccato, robuste armis, sed animæ excidijs fortior, in tam vetusto scelerum atramento, veluti madidus vino de Sodomitana vite expresso, stolide volutaris? & cetera, quæ verbo ad verbum recitaui. Stoueus Malgonem vocat, ducem minoris Britanniæ, qui rexerit in insula quinque annos. Idem scribit Chamber., eum prius fuisse, ducem Britanniæ continentis, quod & ego dixi lib. 7. Nota 5. Nec est improbabile, cùm Fauchetus lib. 3. c. 11. scribat, Conanum Britanniæ Armoricæ Comitem, occidisse tres

fratres

fratres suos, & quartum Macloüium coniecisse in carcerem. quem Felix episcopus Nantiũ, sua prece saluauit à morte. ita tamen, vt fratri suo fidelitatem iuraret. quod & fecit, quanquam postea iusiurandum violauit, & ad Chanomorum, Comitem alium Britanniæ transfugerit. vbi cùm à satellitibus Conani fratris quæreretur, abscondit se in antro, super quod erat foramen aëris immittendi causa factum. Quò cùm hi quæsitores deducerentur, existimantes Macloüium ibi sepultum fuisse viuum, reuertuntur, & Conano rem renunciant; qui similiter credens fratrem suum esse mortuum, omnia quæ ipsius erant propria, nunc occupat. At ille sic euitans periculum mortis, spelunca egressus, transit ad Venetos, vbi se clericum fecit, & electus eius loci Episcopus fuit. Sed posteaquam Conanus frater eius mortuus erat, comam nutrit, & bona eius defuncti, terrasque omnes possidet, vxorem suam reuocat, quam propter ordinem clericalem dimiserat. propter quod factum ab alijs Episcopis Britanniæ minoris, ipse (vt ait Gregorius Turonensis) fuit excommunicatus.

30. Cùm tres annos. Idem lib. 8. c. 2. Malgoni successit, inquit, Cathericus (sic enim nomen eius ordo publicus Regum, & Chamber scribit, atque electum tres annos regnasse, vexatumque à Godmundo ex Hibernia demonstrat) amator ciuilium bellorum, homo inuisus Deo, ac Britonibus. cuius inconstãtiam competientes Saxones Gothmundum (sicut in manuscripto exemplari lego) ex Hibernia aduectum, cùm centum sexaginta millibus, inito fœdere sibi consociant, & Regem Cathericum de ciuitate in ciuitatem agitantes, tandem ad vrbem Cicestriam trudunt, quo loco etiam illum obsident. qua vrbe capta, incensaque, prælium cum Catherico fecerunt, eoque illum vltra Sabrinam in Gualias (vt est in manuscripto, in excuso, Gallias) fugauerunt. Postquam autem infaustus iste tyrannus, totam ferè insulam vastauisset, maiorem eius partem, quæ Loecria vocatur, Saxonibus, quorum proditione vicerat, habitandam dedit. Itaque Britonum reliquiæ secesserunt in Occidentales regni partes, Cornubiam videlicet, atque Gaulias (sic enim liber excusus habet)

vnde crebras irruptiones,& ferales, hostibus incessanter fecerunt. Duo igitur Archipræsules Thoenus Londoniensis, & Tadioceus Eboracensis, cùm videbant omnes ecclesias sibi subditas, ad humum vsque destructas, cum omnibus ordinatis, qui ex tanto discrimine supererant, ad nemora fugiunt in Gallijs,(ita nūc manuscriptus Gaufridus legit)cum reliquijs sanctorum; timentes ne irruptione barbarorum, tot atque tantorum veterum sacra ossa delerentur, si ea in periculo tam imminenti desererent, seseque instanti martyrio offerrent. Plures etiā nauigio magno Armoricā Britāniam petiuerunt. ita vt ecclesia tota duarum prouinciarum, Loecriæ videlicet, & Northumbriæ à suis conuentibus desereretur. Sed hæc aliàs referam, inquit Gaufridus, cùm librum de exultatione eorum transtulero. vbi liber excusus habet exulationem, forasse pro exilio, quod est vsu rarum. Cambdenus autem lib. 5. Nota 2. relatus, Theonum vocans vltimum è Britannis Episcopum Londinensem, cui successit Melitus ab Augustino consecratus, Sanctorum, inquit, reliquias ad perpetuam earum memoriam conseruandam, occultabat. sed Gaufridus Catholicè, ne sacra ossa delerentur, inquit, à barbaris. quorum ossium sanctorum reseruatio fit in templis, propter venerationem, vt antiquæ reliquiæ huiusmodi intra capsam clausæ, per vitra superposita ostendantur, quemadmodum Innocentius Tertius c. 2. de reliquijs, & veneratione sanctorum, constituit, & lib. 6. N. 8. demonstraui.

31. Nondum insulæ regnum. Idem lib. 8. c. 3. Britones, inquit, amiserunt diadema regni, multis quidem temporibus seruatum per totius insulæ monarchiam. neque pristinam dignitatem recuperare nitebantur. imò partem illam patriæ, quæ adhuc eis remanserat, non vni Regi, sed tribus tyrannis subditam, ciuilibus prælijs sæpissimè deuastabant. Sed neque Saxones insulæ regnum adepti sunt adhuc, qui tribus etiam subiecti, quandoque sibi, quandoque Britonibus turbas dederunt. Et statim c. 4. interea missus est inquit, beatus Augustinus, à beato Gregorio Papa in Britanniam, vt Anglis verbum Dei prædicaret. nec antè

quod memini, Anglos vnquam nominauit Gaufridus. quod inde contigit, quia Gregorius Saxonas in Britannia, primùm cognouit ex nomine Anglorum. Sic enim Beda lib.2.c.1 Cùm aduenientibus Romam nuper mercatoribus, inquit, multa in forum venalia collata fuissent, multique ad emendum confluxissent, ipse Gregorius inter alios aduenit, & inter alia vidit pueros venales positos, candidi corporis, ac venusti vultus, capillorum quoque forma egregia. Quos cùm aspiceret, de qua regione, vel terra essent allati? quærit. Dictumque est, quòd de Britannia insula, cuius incolæ homines, tales essent aspectu. Rursus interrogauit, vtrùm ijdem insulani, essent Christiani, an paganis adhuc erroribus implicarentur? dictumque est, quòd essent pagani. At ille trahens intimo ex corde longa suspiria, Pròh dolor, inquit, quòd homines tam lucidi vultus, auctor tenebrarum possidet, hominesque tanta gratia frontis conspicui, mentem ab interna gratia vacuam gestant. Rursus ergò interrogauit, quod esset vocabulum gentis illius? responsum est, quòd Angli vocarentur. At ille, benè, inquit. nam & Angelicam habent faciem, & tales angelorum in cœlis decet esse cohæredes. Quod (ait) habet nomen ipsa prouincia, de qua isti sunt allati? Responsum est, quòd Deiri vocarentur, ijdem prouinciales. At ille, benè, inquit, Deiri, de ira enim eruti, & ad misericordiam Christi vocati erunt. tum adhuc quærit, Rex prouinciæ illius, quomodo vocatur? Responsum est, quòd Elle diceretur. At ille alludens ad nomen, ait, Alleluia ad laudem Dei creatoris, in illis partibus oportet cantari. Accedensque ad Pontificem Romanæ & Apostolicæ sedis (nondum enim erat ipse Pontifex factus) rogauit, vt genti Anglorum, in Britanniã aliquos verbi ministros, per quos ad Christum conuerterentur, mitteret; seipsum paratum in hoc opus, Domino cooperante, perficiendum, si tamen Apostolico Papæ, hoc vt fieret, placeret. Id quod dum perficere non posset, quia etsi Pontifex concedere illi quod petierat, voluit, non tamen ciues Romani, vt tam longè ab vrbe secederet, permittere potuerunt. Mox vt ipse Pontificatus officio

functus est,opus diu desideratum perfecit. Alios quidem prædicatores misit, sed ipse prædicationem, vt fructificaret,suis exhortationibus, ac precibus adiuuit. Florentius autē,sub anno Christi 559. & Iustiniani 33. Aella in prouincia Deirorum,inquit,regnum suscepit, & fermè 30. annis strenuissimè rexit. Ad cuius nomen beatus Gregorius) cùm Angligenos pueros in foro Romano venales positos inuenerat) alludens ait: Alleluia ad laudem Dei creatoris,in illis partibus cantari oportet. Interim super Bernicios regnauerunt, Adda primogenitus Idæ 7. ānis: Clappa,5. Theodulphus, 1. Freothulphus,7. Theodoricus,7. Aethelricus,2. adhuc viuente Aella. quo mortuo, & filio eius trium adhuc annorum,Eduino expulso de regno, super ambas prouincias annis 5. regnauit Aethelricus. sic Florentius, qui supputauit tempora 6. Regū Berniciorum,29. annorum,& post eos Aella mortuus est,anno Christi 588. Mauritij Imperatoris sexto. Cuius Mauritij principis anno 14. inquit Beda lib.1. c.23. aduentus verò Anglorum in Britanniam, anno circiter 150. Gregorius Pōtifex,diuino admonitus instinctu, misit seruum Dei Augustinum,& alios plures,cum eo monachos,timentes Dominū,prædicare verbum Dei,genti Anglorum. Probabiliter ergo,Anglorum venditio,in foro Romano contigit annos septem prius, & tempore Pelagij Secundi Pontificis Romani,qui cepit Ecclesiam regere anno 581. & sedit annos decem,à quo Gregorius conuersionem Anglorum petijt. vnde igitur hi venalitij Angli, quos mercatores Britanni Romam duxerunt? nam Cathericus infelix Princeps, nullos vicit. Certè Ranulphus Higdenus lib. 5.polychronicôn c.6.scribit, hanc prædictionem fidei Christianæ, non habuisse locū tempore Aëllæ,sed filij eius Eduini. quod in regno Northumbriæ perspicuum facit Beda lib. 2.c.9. Sed in Cantij regnum,prius accessit Christianismus. Quocirca vero similius est, hos Anglos tempore Caduallonis Regis,Caduani filij, frequenter Victoris, fuisse bello captos & Romam abductos, vt charius venderentur, sicut dixi circiter annos septem prius, quàm Gregorius Pontificatum iniret. nam hūc(vt ait Humfredus)

Cedual-

Ceduallam vocans Beda lib.3.c.1.scribit, impia manu, sed iusta vltione peremisse Osrichum, regem Deirorum, & Enfridum regem Berniciorum, ambos Apostatas, qui fidei Christianæ sacramentis se exuerant. Etenim præpropera narratio aduentus Augustini à Gregorio missi, quæ apud Gaufridum antea ponitur, quàm Caduanus Rex eligatur, imputari potest negligentiæ scribentium libros eius; quandoquidem bis recitatur, & lib.8.c.4. in fine; ac iterum lib.9.c.1. in principio. forsitan illo errore, quē Stoueus, & Chamber allegant, nullum in Britannia Regem post Cathericū fuisse spacio 24. annorum. & quòd ordine publico Britannorum principum dicatur, nullum post Malgonem fuisse monarcham in Britannia, vsque ad annum ab orbe saluo octingentesimum. sed addit, quattuor, aut quinque simul extitisse, qui regerent. sicut & illi tres Britonum Principes, quasi Reges fuerunt, & inter eos præcipuus, dux Venedotorum Caduanus 22. annos rexit; habitoque consilio in vrbe Legecestriæ Britanni eumdem sibi regem fecerunt; & ipsius auspicijs Ethelfridum vltra Humbrum persequebantur; vt lib.9. c.1. Gaufridus attestatur. Quod ex antiquissimo libro de legibus Britannorum scripto, confirmans Humfredus, postquam Saxones deuictis Britannis sceptrum Regni, & coronam Londinensem, inquit, adepti sunt, omnes Cambriæ populi ad ostium Deui fluminis pro eligendo Rege congregati sunt, & Malgunum, quem alij vocant Maclocunium Guenedum, in Regem elegerunt. hæc circa annum Domini 560. postea tamen in miserabili pugna contra Ethelfredum Northumbrorum Regem, memorantur Demetiæ, Pouisiæ, & Northualliæ, quæ est Venedotia, Reges. ita Humfridus. qui cùm Maclocunium Guenedum vocat, qui est Northualliæ, atque nos superius nota 29. Maglocunum ex continente, ducem minoris Britanniæ diximus, tametsi cùm rex esset, insularis draco à Gilda nominetur: profectò videtur iste Maclouius Guenedus, Rex ab Arcturo quartus, vtriusque tam insulæ quàm continentis rex communis. nam ita Fauchetus idem ex Argentreo: Maximus ex Britannia transmittens, occiso Ro-

manorum Imperatore, Conanum Regem Armoricæ conſtituit ille Gallonium, commilitonem ſuum, declarauit ſucceſſorem, qui anno 405. mortuus, Salomonem filium reliquit, regem quidem pacificum. qui moritur anno 412. & iſte Aldroënum filium ſuum, qui Conſtantinum fratrem miſit ad regnandum in inſula, de quo nati ſunt Conſtans monachus, Aurelius Ambroſius, & Vther Pendraco. vixit autem vſque ad annum 438. & Budecium filium reliquit, regem ad annos vſque 49. Budecio ſuccedit Hoelus, cognomēto Magnus, Arcturi adfinis, & belli ſocius in omnibus ferè prælijs. cui ſuccedit Rex ſeptimus Armoricæ, Hoëlus Secūdus, primi filius, homo inutilis. ſub quo multi eius ſubditi capita extollentes, ſe fecerunt Comites, eo, quòd Daci deſcendentes in Britanniam minorem, occuparent eādem, donec Rhimo rex (Gaufrido dictus Runo) Britanniæ maioris expulſus à Pictis, eoſdem Dacos prælio ſuperaſſet. cuius filiam Rex Hoëlus accipiens in vxorem, ex ea genuit Alanum, cognomento Magnum. Cui conſentiens apud Gaufridum lib. 9. c. 3. Rex Caduallo, dum alloquitur Secūdum Salomonem Regem, Malgo, inquit, ſummus ille Britanniæ Rex, qui poſt Arcturum quartus regnabat, duos genuit filios, Ennianum, & Rhimonem. Ennianus genuit Belinum, Belinus, Iagonem; Iago, Caduanū patrem meum. Rhimo poſt obitum fratris, expulſus factione Saxonum, hanc prouinciam adiuit, filiamq; ſuam nuptui dedit Hoëlo Duci, ac filio Magni Hoëli, qui cum Arcturo militans plurima loca ſubegit. Ex illa natus eſt Alanus, ex eodem Alano tertius Hoëlus pater tuus.

32. *Saxonibus autem inimicis.* Idem ſcribit, Abbas Dinothus (ſic enim in manuſcripto Gaufrido, & Beda vocatur) liberalibus Artibus merè vir eruditus, Auguſtino petēti ab Epiſcopis Britonum ſubiectionem, ſuadentique, vt ſecum communem laborem euangelizandi genti Anglorum ſuſciperēt; diuerſis argumentationibus contrà probauit, Britonas ei nullam ſubiectionem debere, qui ſuum Archipræſulem haberent. nec inimicis prędicationem impendere, cùm gentes Saxonum, patriam ipſis propriam, auferre conſtaret. hinc

effici,

effici, vt illos odio ſummo proſequantur, fidemque ac religionem eorum, pro nihilo ducerent: nec in vlla re magis Anglis, quàm canibus communicarent. Quod Abbatis docti, perquam inſolens reſponſum fuit. cùm Tryphon Abſadi in Saxonia, conatus fuerit Imperatore Decio conuertere omnes ad fidem Chriſti, & ob id captus, & martyrio affectus eſt, vt die 10. Nouembris in Breuiario Romano decantatur. Itaque ſuſpicor ego Dinothum opinione Pelagij, quondam eo loco hæretici, vt lib. 7. Nota 17. demonſtro, fuiſſe corruptum. Humfredus enim, Dunetus Abbas, inquit, vir doctiſſimus concione militum habita iuſſit, vt vnuſquiſque terram oſcularetur, in memoriam cōmunionis corporis Dominici, aquamque ex Dea fluuio manu hauſtam biberet, in memoriam ſacratiſſimi ſanguinis Chriſti, pro eis effuſi. & ita communicati, memorabili prælio Saxones, occiſis eorum 1066. vicerunt, Caduanumque in ciuitate Legionis, Regem creauerunt. ſic Humfredus factum hoc laudans, quod erat grauiter accuſandum, in abuſu communionis Euchariſtiæ. Scribitur enim, Hoc facite: non, aliud pro hoc facite; quoties hoc facere non poteſtis. quo caſu Chriſtiani Catholici benè ſciunt, Sacramenta voto ſumi; proficereque in re præſenti, fidem ex voto.

33. *Vt ipſe Conſtantini Magni exemplo*. Hæc eſt confirmatio Sedis Apoſtolicæ Romanæ, de Regno Anglorum in perſona Aethelberti. contra quam nec arma Caduani, neque crudelitas eius filij Caduallonis, nec vlla fortitudo Caduալladri nepotis, aut poſterorum vnquam præualere potuit. nam in fine operis Gaufridus, Iuor, inquit, Cadualladri filius, & Iuius Cadualladri nepos, qui fugerant cum eo in continentem, paratis ibi, quas potuerunt, claſſibus ad inſulā redierunt, & ſpacio quadraginta nouem annorum, ſæuiſſimis prælijs gentem Anglorum vexauerunt, ſed non multum profuerunt. nam illa dira peſtis, & magna fames, propter quas Caduallader animum deſpondit, ſeque in Britanniam Armoricam contulit, adhuc permanens, & vtraque peius, illud inter ipſoſmet Britonas diſſidium longa conſuetudine inueteratum, coëgerat populum

ſuperbum, ita degenerare, vt hoſtes arcere nequiuerint, ſic Gaufridus. Cui Ioannes tertius circa tempus illud, Epiſcopus vrbis Romæ, conſentit, dum Iuſtiniano Imperatori poſt l. 3. Cod. de ſumma trinitate ſcribens: Patet in vobis, inquit, impletam fore, quod ſcripturæ loquuntur, Per me Reges regnant, & potentes ſcribunt iuſtitiam. Nihil eſt enim, quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in Principe, nihil eſt, quod ita nequeat occaſui ſubiacere, quàm vera religio. Nam cum auctorem vitæ, vel luminis vtraque reſpiciant: rectè tenebras reſpuunt, & neſciunt ſubiacere defectui. Sic nunc Gregorius in ordine tertius, ab hoc Ioanne Põtifex, Aethelbertum ad fidem Chriſti propagandam, cohortatur, exemplo Conſtantini Magni, & Romanorum Imperatoris, & Britannorum Regis, quem declarat ipſius eſſe prædeceſſorem his verbis: Vt antiquos gentis tuæ Reges, laudibus ac meritis ſuperes Nam ſi gentem ſuam, intelligeremus Saxonicam Aethelberti, nullus eorum ab Hengiſto ad ſe vſque fuit Chriſtianus Rex, nec alibi, quàm in Cantio regnans, vt ab eo poſſet exemplum capere fidei Chriſtianæ. nec ſi fuiſſet aliquis, ille tamen poſſet, antiquus gentis ſuæ Rex, appellari. Neceſſe igitur eſt, gentem ſuam, intelligere Britannicam, quam Gregorius hoc reſcripto declarat eſſe *ſuam* Aethelberto, nouè facto Chriſtiano. multi autem fuerunt Britannici imperij peradmodum antiqui Reges Chriſtiani, qui cum Romanis Pontificibus in Catholica fide coniunctionem arctiſſimam ſeruauerunt, vt Lucius cum Eleutherio, Conſtantinus cum Siluestro, Arcturus cum Simplicio, & nunc Aethelbertus cum Gregorio, quemadmodum lib. 5. Not. 1. 2. & 3. & lib 6. Nota 13. demonſtro.

54. *Pro ſalute populi.* Gaufridus lib. 8. c. 4. Edelfridus, inquit, Rex Northumbrorum, cæterique Saxonum reguli, libenter Edelberti conſilium ſecuti, mirabilem exercitum collegerunt, & prouinciam Britonum aggrediuntur, Legeceſtriam veniunt, cuius vrbis Conſul Brochmail, aduentum eorum expectabat. Venerant autem ad hanc ciuitatem ex diuerſis, Britonum prouincijs, innumerabiles monachi, & heremitæ, maximèque

meque de ciuitate Bangor, vt pro salute populi sui orarent. Sed Humfredus dicit eos venisse, vt peterent à Rege pacem; qua non obtenta, domus eorum tota destructa fuerit. & valdè commotus affectione: Augustini, inquit, non Hipponensis episcopi, sed monachi superbissimi inuidia, & crudelitate Ethelfredi, crudelissimi ministri, opera, viri, multo perfectioris, quàm ille fuit, instituti, è medio sublati, & domus tota à fundamētis, cum nobilissima, & omni thesauro clariore, Bibliotheca, igne & ferro destructa est. Cùm in solio regaliter sedens, episcopis Britannis ad eum humiliter, & mansuetè, vt Christianos decebat, venientibus, assurgere dedignabatur, reuersi domum sunt. Ille verò ob hanc contumaciam, & quòd Archiepiscopo Cantuariæ à se constituto, & quòd Britanni cum Romana Ecclesia, in quibusdam non conuenirent, Anglorum odium, ita in eos conciuit, vt paulo post ab Ethelfredo, Ethelberti Cantij regis ab Augustino incitati, opera, & auxilijs, monachi pacem petentes, crudeliter occisi: & postea Britanni duce Brochuello, Pouisiæ Rege, victi sint. ita vir iste nimium indulgens affectibus, & Ecclesiasticæ consuetudinis ignarus, qua nunquam Archiepiscopus ornamentis Pontificalibus (quod odiosè, dicit regaliter) indutus, adsurgat in synodo coëpiscopis, vel suffraganeis suis, accusat Augustinum, quasi tantæ cædis auctorem, & obliuiscitur heresis Pelagianæ, qua forsitan infecti restiterant, neque cum Apostolica Sede Romana, quæ ipsorum dogma ex persona Celestini Pontificis, sententiam proferentis, condemnauit, vt lib. 7. Nota 17. declaro, commercium habere voluerūt. nam & eos defendit Humfredus in diuersa celebratione Paschatis, tanquam si Asiaticos episcopos sequerentur. sed vbique Beda meritò reprehendit, & hanc rem sic, vti ego recensui, lib. 2. c. 2. describit.

34. *Trans Humbrum*. Idem lib. 9. c. 1. Gaufridus: ambobus, inquit, ad arma paratis, interuenerūt amici, talique pacto inter eos pacem fecerunt, vt Ethelfridus trans Humbrum, Caduanus citra fluuium, Britanniam possideret. quam conuentionem iureiurando, & obsidibus datis confirmauerunt. inde tanta inter eos orta

est amicitia,

est amicitia, vt omnia sua, communia haberent. Equidem tale genus pacis, eoque modo per amicos factum, inter fratres Belinum, & Brennũ, memini lib. 3. Nota 2. Quam pacis initæ conditionem, filios eorumdem, Caduallonem, & Eduinum Reges, obseruasse credo, propter eorumdem in Aula Salomonis Secundi, Armoricorum Britonum Regis, educationem. Quocirca nũc præstat Reges, de quibus hic egimus, recensere.

131. Arcturus incepit anno ab orbe saluo 491. & regnauit annos 51.

132. Constantinus Quartus 542. & rexit annos 3.

133. Aurelius Conanus 545. imperat item per annos 3.

134. Vortipor Sindnallus cepit anno 548. finit anno 4.

135. Malgo regnare incepit 552. & desijt anno 5.

136. Cathericus inchoat anno 557. & finit anno 3.

137. Caduanus cepit 560. & regnat annos 22.

138. Caduallo auspicatus est 582. & desijt ãno postea 48.

Cuius nempe Caduani, anno Regni 9. Aethelbertus Cantijs populis imperare cepisse, atque Caduallonis anno Regni decimo quinto, primus Gregorius Romanus Pontifex, Augustinum cum socijs in Britanniam, vt ibi conuerteret Anglos Saxones ad fidem Christi, feliciter misisse creditur.

FINIS.

EMENDATIONES

Pro Vrbis pag. 12. linea 24. lege vrbi. Subrinã, p. 14. l. 20. Sabrinam suspendet. p. ead. l. 28. suspendit. capite, p. 16 l. 17. capiti. morem. p. 18. l. pen. morum. caterua p. 19. l. 2. cauernis. gratiosum p. 30. l. 18. gratiosi. illa p. 94. l. 15. ille. Rumulo p. ead. l. 20. Romulo.

In hoc octauo libro historiarũ Britanniȩ, notis ei adiũctis, nihil est fidei Catholicȩ, aut moribus aduersũ. Actũ Duaci, 7. Iulij. 1600.

Gregorius Coluenerius S. Theologiæ Licentiatus & Professor, librorumque Visitator.